















Goclenius (1572-1621), professor of medicine, physics and mathematics at Marburg, was a follower of Paracelsus and is chiefly remembered for his book on the weapon salve, being a forerunner of Sir Kenelm Digby. The present book is perhaps his best work, being a full description of the plague and in particular of the epidemic at Marburg in 1611. His observations are extremely accurate and his study of contagion in general is specially interesting.



LOIMOGRAPHIA, IN QVA GRAVES QVÆDAM ARDVÆQVE QVÆSTIONES, MEDICORVM QVORVNDAM IGNORANTIAM & errorem in curanda peste detegentes, explicantur:

SYMPTOMATA OMNIA, QVÆ PESTE LABORANTES INQVIETARE solent, enumerantur:

Contagionis quoq; natura & causæ eruuntur.

Authore

RODOLPHO GOCLENIO MED. D.

& Professore ordin. in Acad. Marp. nec non pro tempore ciuitatis Marpurgensis Loimiatro.

Quid in specie in peste Marpurgensi hoc Anno 1611. euenerit, æquus lector passim insertum reperiet.

EME, lege, non pœnitebit.



ANNO 1613.

FRANCOFVRTI,
Impensis Petri Musculi & Ruperti Pistorij.

Gui Guc



PRÆCIPVA-RVM HASSIÆ CIVITATVM, CASSELLANÆ ET MARpurgensis,

Amplissimis, Clarissimis, Consultissimis, spectatæque autoritatis & prudentiæ viris, Dominis Consulibus ac Senatoribus, Dominis suis obseruandis, Rod. Goclenius D. precatur prosperitatem summam.



QVAM ferum ac crudele malum sit pestis, viri amplissimi ac prudentissimi, elapso anno 1611. post mille quadringentos breui temporis interuallo, proh dolor, ad sepulcrum exportatos,

etiamnũc ſuperſtites poſſunt teſtari. Menſe enim Auguſto, & imprimis Septembri tanta erat luis ſæuitia & rabies, vt, ſi nec, ſummo fauente Numine, hiberno algore ſuperueniente, nec remediis conuenientibus fuiſſet reſtincta, metus fuerit, ne mox reuiuiſcente anni calore in immenſam vaſtitatem peſtifer hic fœtus exiliiſſet, quãuis præcipuas Haſſię noſtræ partes intactas non reliquerit. Ego mearum duxi eſſe partium, vt ordinarius ab Hygieina Diuina & Ampliſſimo Senatu Marpurgenſi Loimiater deſignatus, ſi de peſte in genere & ſpecie, veris eius cauſis, ſignaturis, & ſymptomatibus, idq; publici boni causâ, aliquid conſignarem,

rem, atq; in publicam lucem ederem. Multi quidem de peste multa scripserunt, vlcus pestilens non viderunt, non attigerunt vnquã. O medicos! Sed vana magis illorum iactantia est, qui certo remedio se præseruare & percurare omnes posse proclamant, circumforaneorũ more, qui circumforaneis schedulis typis impressis, veram medendi artem infamaturi, nõ sine vanitate hyperbolicôs sua extollunt & magnificant, mundumque misere decipiunt, experimento per orbem manifesto. Sed de hac vanitate alibi. Prodigiosis mendaciis, & portentosæ iactantiæ boni & docti viri non fauent. VOS VIRI Amplissimi hunc meum laborem æqui

boniq; consulite, hilarique fronte hanc Loimographiam accipite, & contra maledicos tutamini, defendite, vobisq; persuasum habete, me partim insigni vestra humanitate in meipsum, partim beneuolentia & benefica semper in familiam nostram propensione impulsum, deniq; autoritatis etiam vestræ splendore adductum, vt hunc librum vobis consecrarē. Quare nō dubito, quin hæc meæ voluntati satisfaciendi cupiditas sit grata vobis futura. Bene feliciterq; valete. Marp. 1612. 16. Oct.



IN LOIMOGRAPHIAM EXCELLENTISS. VIRI RODOLPHI Goclenij Philos.& Medicinæ D. ac professoris in Academ. Marpurg. Caspar Sturmius Theol. D. & professor publ. in Acad. eadem.

IDem iustitiæ vindex, idemq́ furentum
Commissorum vltor Dominus, ne impune ferantur
Crimina, & abruptis spatiata licentia frænis,
Centum informauit pœnas, certumq́ solutis
Moribus imperium statuit, bellumq́ famemq́
Pallentem, & diram Ditis spiracula, pestem.
Tristem homini pecoriq́ luem, quæ sæpe vagando
Mœnia sublatis viduauit & oppida turbis.
Idem etiam è miti clemens miserator Olympo,
Vt veniæ est facilis subitæ, flectiq́ paratus
Cum satis à tergo increpuit, torsitq́ flagello
Prostratos mœrore viros, viditq́ lacunis
Noxia flebilibus lacrymari admissa querelis,
Substitit, irarumq́ vndantia lora repressit.
Hinc Medicina Dei virtus inuenta, viriq́
Exorti herbarum succis florumq́ potenti
Sæua ministerio qui damna luemq́ nocentem
Lapsantem cæcis tacita ad præcordia rimis
Persequerentur, & in melius collapsa referrent
Corpora: sæpe tamen quia non percepta fefellit

Artifices doctrina, vel experientia nondum
Auctores firmata satis, delusit, ob illud
Corrigere errores indeprensamq; priori
Castigare æuo vitium melioribus orsis
Artifices alios decuit, quos gloria maior
Prætulit, & rerum gnaros sapientia fecit.
Hos inter cum tu fortunatissimus vnus
Sis facile Rudolphe, sophi patris æmula proles
Da mundo, da corporibus languentibus vnum
Hoc opus, hanc operã claram, monstraq; fidelis
Quæ profligandæ decreta scientia pesti,
Quæ ratio sit habenda, quibus prostrata medelis
Discedat, pulsis ab anhelo corde venenis.
Aut potius religata Erebo, trans tartara & orcum
Exulet humanam nunquam offensura salutem.
Sic tibi se longos tuâ vita propaget in annos
Incolumi, seruansq; alios, seruansq; tibi te
Æternum ingenti celebreris ad æthera famâ.

IN


IN EXCELLENTISSIMI, EXPERIENTISSIMIQVE POLIATRI MARPVRGENSIS, D. RODOLphi Goclenij, Loimographiam,

PHALEVCIVM

RAPHAELIS EGLINO-ICONII, TIGVRINI, S. THEOL. D. ET PROFESSOris Marpurgensis.

Diuinæ Nemesis quaterna flagra
Inter, siue animalium furores,
Seu belli gladium, famemue diram,
Causas pestis habet latentiores,
A dextra Domini velut profecta.
Anne ergo fugiendo mox, proculq;,
Aut tarde *redeundo, consulemus*
Nobis? Nec licitum omnibus, nec omni
Hoc est tempore, charitatis expers.
At sunt pharmaca, Chimiciq; docti,

Vti quorum opera iubemur omnes.
Hos inter celeberrimus RODOLPHVS
Est GOCLENIVS, *æmulus parentis,*
Cuius gloria propria, hæcque laus est,
Qua scripsit, potuit leuare dextra
Solus corpora peste torrefacta.



IN



IN LIBRVM

DE PESTE
RVDOLPHI GOCLENI
MEDICI ET PHILOSO-
phi clarissimi

CASPAR BARTHIVS
MODVLABAR.


Nquies longis latuisse seclis,
Nempe, dum nostri numeros reatus
Crescere occulta ratione, sentit,
Pœna morata est.

Nec nouum semper scelus imminente
Vindicis pressere Dei cohorteis
Clade, sed longum spacium dedere
Retro abeundi.

Verum, vbi nullo voluere ritu,
Crimine abiecto, monitus Deorum
Nosse, Mortaleis, Animosq; cruda
Vertere noxa.

Sed

Sed suam in cladem ruere obstinata
Mente, Diuinos gemitus cacchinnis
Prosequi obscœnis, vitiisq; totam
Mergere vitam.
Ilicet vindex Domini coruscat
Dextra flagrum atrox, variaq; iustas
Induit pœnas facie, per omnem
Flebilis orbem.
Pars cadit ferro, atque inimica tingit
Arma vesano periens cruore,
Strictus in mortem furor imminentem
Irruit vltro.
Pars inexpectato obitura letho
Mille se in cladeis rapit ambigentem,
Dumq; non sperat medio in Lepôre
Inuenit orcum.
Fraude sublestâ, socioque falso
Plurimi occumbunt. Epulis supinos
Dapsilis multos rapuit profundo
Crapula somno.
Nec minus blando Venus & Lycæus
Vinculo nexi, illecebris dederunt
Plurimos pessum, super his triumphat
Cœca voluptas.
Bilis infanda satianda cæde
Mille corrupit famulos gradiui,
Ira dum stricto furibunda ferro,
Se necat ipsam.
Hosticus queis sæpe pepercit ensis

Ebrii

Ebrii in luxu periere festo,
Dum serit rixas, facili Cupido
Morte piandas.

At velut nostro vitiosa seclo
Ausa creuerunt, Fera pœna centum
Auxit in formas rabiem nocendi,
Nescia pausæ.

Inter immensos tamen vna morbos
Acrius seclum exagitare pestis
Incipit nostrum, sata pullo ab astro,
Præs, mala, lethi.

Ætheris magni domus in vaporeis
Flagrat obscœnos, Hominumq; genti
Sæua destillat, volitans, venena,
Præpete nimbo.

Hassiæ testor Genium Beatæ,
Annuo quam nunc spacio cruenti
Sæua pascuntur, sine Apolline vllo,
Spicula morbi.

Hoc, nisi, GOCLENIA *quod laborum*
Totiugem messem miserata VIRTVS
Induit Phœbi faciem fauentis,
Gnara medelæ.

Martis ad Lini fluuium, Eruditis
Semper excellens animis virorum
Castrum & ingenti ditio Dynastæ
Subdita clamat.

MAVRITI, *diuum genus: Entheorum*
Prosator diuum, Patriæ parentem

Prona

Prona quem dio venerata cultu
Haßia adorat.
Flebilem in cladem lachrymas tuorum
Sæpe te iunctas precibus dedisse
Auguror vates, Pietate tanta
Nobilis exstas.
Interim sæuo lacerata morbo,
Sensit adstantem Medico vigore
Vrbs sacra auctorem placidum, ominandi
Fausta, Rodolfum.
Ille dum sanctam populi salutem
Peste seruaret, proprie fuisse
Immemor longo spacio videtur,
Verus Apollo.
Cum nec ad prolem trepidi venirent
Morbidam Patreis, fugerent parenteis
Filii infectos, soluente iura
Sanguinis, Orco.
Cum soror viso procul abstineret
Fratre congressum, nec aui Nepoteis
Viserent charos, Auiaq; Neptem
Cura timeret.
Cuncta cum humani resoluta nexus
Vincla torperent, Sociiq; quondam
Paceque & bello ruerent procul, vi
Cladis abacti.
Quippe lethali populante flatu,
Vel semel tactos anima volucri,

Vixque

Vixque pernici medicamen vllum
Esset in æstu.
Solus aduersos animo Potente
Spreuit insultus Furiæ volantis
Qui modo, GOCLENIVS, *in libellum*
Pharmaca mittit.
Et gradu forti, pietate magna,
Adstitit vi pestifera impetitis,
Numen vt præsens, Epidauriusve
Augur vt olim.
Plurimos virtus ea Portitoris
Sutili excußit stygii carina,
Et nouam in lucem è media iacenteis
Morte reduxit.
Macte, diuini soboles Galeni,
Vera, GOCLENI, *tibi Martis vrbem*
Haßiæ primam, celebrem eruditûm
Laude virorum,
Laudem eam debere palam fatemur
Quam seni Coô tribuere Athenæ
Peste concisæ volitantis atro
Æthere, morbi.
Hoc viri est magni, Medicique docti
Ipsa non horrescere quem pericla,
Cominus pestis genus experiri
Vindice Cura.
Cum vacant præsente malo furores
Cladis incertæ, facile est virili

Ire vi

Ire vi contra, datur hinc corona
Simplice nexu.
At tibi duplex honor, ô RODOLPHE,
Rite debetur, quia quæ libellis
Inseris, coram didicisti ab ipso
Strenuus vsu.
Et tibi vitæ Pater almus annos
Annuet multos, Pietatis ergo
Istius, GOCLENI, *ego quod fauente*
Auguror astro.

DE

DE SYMPTOMATIBVS, QVÆ PESTE LABORANTES ſolent inquietare, & in ſpecie, quę in peſte Marpurgenſi euenerunt.



NTEQVAM vero ad Symptomatum enumerationem eorundemq; curationem veniatur, enarrabo ſigna prognoſtica, quænam ſc. peſtis curari poſſit, quæ non, hoc eſt, num æger euadat nec ne? Apud graues autores ſcriptum reperitur, peſtes fuiſſe adeo feroces & contagione ſæuas, vt non tantum ilico multos inuaſerint, primoque vel ſecundo die interfecerint, ſed per maximam orbis partem ſementem fecerint. Hierony. Fracaſtorius in Syphilide ſua, & Guido de Cauliaco, qui anno 1348 in ſeruitio Pontificatus Clementis ſexti erat, referunt, peſtem eo ipſo anno fuiſſe & graſſatam eſſe tam horrēdam, vt vix quartam partem gentium intactam reliquerit. Neq; enim fuit comparanda cum illa peſte, qua pre-

mebatur ciuitas Thraciæ & Palęstinæ, nec cum ea, de qua Hippocrates ſcripſit in libro Epidemiorum, nec cum Romana, cuius meminit Galenus quotidie 10. millia interimente, quo etiam tempore obiit Camillus, nec cum ea, quę ſęuiit ſub Veſpaſiano & ſub Commodo Imperat. quotidie duo millia abripiente, nec cum ea, quę ſub Leone Iſaurio trecenta hominũ millia Cõſtantinopoli occidit, nec cum ea, quę anno 1576 Venetiis à Maio vſq; in Ianuar. ſexaginta millia hominum, & inter hos *60* Medicinę Doctores è medio ſuſtulit, vt nec cũ ea, quæ olim apud Ruthenos incipiens mox per Liuoniã graſſata eſt, & annotãte Cornario in lib. ſuo de peſt. hinc ad Lithuanos progreſſa, deinceps Boruſſiã inuadit, quæ poſtea Sarmatiam ac Poloniam peragrans, vicinos quoq; Quados ſeu Sileſios afflauit. Cum his omnib. inquam non eſt conferenda illa, quę anno à nato Chriſto 1348 totum fere mundum peruagata eſt & occupauit, aliis vnam tantum aut alterã regionem infeſtantib. Fuit autem hæc peſtis vere medicomaſtix, omnes enim hac correpti mortui ſunt, paucis exceptis circa finem, qui cum bubonibus maturatis euaſerunt. Calamitoſiſſimam quoq; peſtem deſcribit Thucydides, qua nulla fere horribilior ac ſæuior in mundo graſſata legitur, alter enim alterum ſepelire non poterat. Anno 1450 peſtis exorta in Aſia eſt, proſerpſitq; per Illyriam & Dalmatiam

in

in Italiam,hinc in Germaniam,inde in Galliæ & Hiſpaniæ fines pluribus annis miſere in omnes eſt fere populos debacchata, vt vſque ad internecionem humanũ genus pene fuerit deletum. Cum igitur peſtis ſit ſua natura funeſta & exitialis,nulluſq; morbus ſuis ſignis inſidioſior, in facie ſalutem,in tergo funus gerens, non raro tanta veneni vi pollens, vt etiam omnium fere medicamentorum virtutem aſpernetur, quandoq; 24 horarum ſpatio, nonnunquã 3. 4. vel 7. die iugulans, operæ me pretium maxime facturum exiſtimaui, ſi prognoſeis vel ſigna prognoſtica ipſis Symptomatibus peſtilentialibus præmiſero, vt palam fiat, quinam ex peſte correptis magis vel minus periclitentur.

Prognoſtica in peſte mortem vel ſalutem denunciantia.

Accidentia quæ peſtem ſolent comitari, ſi miteſcant, ſpes ſalutis aliqua promittitur, ſin vero magis ac magis intendantur, & vehementiora euadant,plane eſt deſperandum.

Carbunculus prius apparens, & ſine manifeſta poſtea cauſa euaneſcens,malus.

Bubo ſubito intro currens ægrum ſubito interficit,præſertim ſi cum malis id fiat accidentibus, argumento enim eſt in cor rapi venenum,

quod natura ante exturbare aggreſſa fuerat. In peſte noſtra Marpurgenſi nullus euaſiſſe obſeruatus eſt, cui bubones ſubito euanuerunt, quamuis medicamentis id fuerit attentatum.

Sed minus lethalis eſt Carbunculus, qui primum rubet, poſtea apparet citrinus. Eſt enim id ſignum maturationis & pepaſmi.

Liueſcens & nigricans neminem fere non iugulat.

NB. Sanguis extillans in principio, hoc eſt ineunte morbo, ex ore, naribus, aluo vel veſica, funeſtiſſimus, mortemq; minatur. Obſeruaui hoc in plurimis, quibus in principio morbi ſanguis lucidus, tenuis & rubicundus ſtillabat ex naribus, qui 4. poſtea die expirarunt. Chirurgus cum aſtantibus ſignum ſalutis eſſe putabat, eo quod ſanguis eſſet tenuis, purus & rubicundus, cui reſpondi conſultius ęgro fuiſſe, ſi natura potuiſſet craſſum ſanguinem, in quo ſcilicet veneni erat fomes, excludere, vel in glandulas deponere, quam intus detinere.

Peſſimum quoq; ſignum fuit, ſi veſica nullam aut paucam vrinam reddidit, aut muſti inſtar turbidam cum tetro ac fœdo odore, ſicut non minus lethalis eſt clara & tenuis cum ſæuis accidentibus, vtraq; enim caloris natiui debilitati viriumque proſtratarum indicium eſt.

Vomitus in principio niger fere ſemper funeſtus

nestus fuit, puram vero & exactam atram bilem ante coctionis signa euomentes omnes periere: tales namq; deiectiones humorum vstionem,& colliquationem significabant.

Veneno cordis substantiam occupanti nulla medicina resistere potis est, & tales ne curandi quidem sunt, teste Gal. 3. de præsag. ex pulsibus. Vnde recte monet Montanus, vt Medicus accedens ægros hac in re sit prudens. Signum autem veneni ipsam cordis substantiam occupantis est, quod tales ab initio vix febricitare videntur, minimumque sentire calorem, operationesque externæ præsertim sensitiuæ secundum naturam se habere putantur,& vrinæ sunt tenues, lucidæ saniśq; similes, id quod vere in peste nostra obseruaui, astantibus interim certam salutem sibi pollicentibus, cum interim quartum vix superuixerint diem.

Ægri si transierint quartum diem,&non moriantur,mortisq; signa non adsint, sed quædam indicent salutem, euadere possunt, si medico obtemperarint,recteque curentur. Semper autem hic signa coctionis consideranda, nec vnquam negligenda, si scilicet 4.7. & 11. appareant die. Bona enim spes est, si apparuerint, (nam inseparabile pestilentis febris signum est Syntexis seu colliquatio & tabes, semper praua) pulsusq; & operationes animales constent, hæc enim certam pollicentur salutem. Si vero insignis est

putrefactio, & omnia contrario modo se habebunt, non transibunt 4 aut 5 diem.

Pulsus tremulus, intersectus, & deperditus, malum signum est, quin cer issima mortis securæ nota, si cetera correspondeant.

Minus periclitantur, qui cibum, potumque antidotum non euomunt, & periere, quos ego scio, omnes, qui antidotum repetitum euomuerunt.

Omnis pestilens febris tum certam & citissimam affert mortem, cum oppresso intus corde, nihil foris vel bubonis vel carbunculi summo in corpore efflorescit, aut N B. si quid efflorescit, inde tamen nec morbus, nec æger leuatur.

Fœtens spiritus, extrema frigescentia, creberrimus vomitus, & syncope, omnia mala.

Morbilli, aliæque pustulæ, vt & petechiæ, efflorescentes, & sine alleuiatione delitescentes ipsius infirmi perditionem proximam indicant.

Quanto apparẽt citius cum Symptomatum alleuiatione, tanto minus periculũ metuendũ, minus enim periculi intus adesse significatur.

Bubo vel Carbunculus quo plus distant à corde & partibus nobilioribus, tanto minus periculosi, quamuis anthrax, licet fuerit in locis remotis, & circa diaphragma sentiatur punctura cum sudore frigido, mortem propinquam esse minetur: è directo quoque cordis aut stomachi

vt-

vtplurimum lethalis ceteris paribus, deprehensus est.

Niger omnino mortem portendit, teste etiam Auicenna 3.c.4.

Locus, in quo emersit bubo vel carbunculus si vlceretur, fueritq; resiccatus, coloremque nigrum viridemue prætulerit, præsagit mortem. Hipp.1.prognost.

In hoc vnica salutis spes consistit, si virtus ita est robusta, vt excrementum veneficum possit ad extimas partes protrudere. Galen.cap. 12. l.5. meth. Hipp.3. Epidem. Hectica pestilens prorsus est incurabilis. Gal.l.3.c.3.de præsag.pulls.ratio est, quoniam in hectica pestilenti solida cordis afficiuntur, hoc est, ipsa cordis substantia à veneno pestilenti obsidetur, vnde, quia venenum magnæ est actiuitatis, efficaciterque agit cunctis primo quoq; die perniciosa est. Hac afficiuntur inprimis, qui cor vel natura vel abusu diætæ ita habent dispositum, vt facile hanc calamitatem admittat. Hæc febris vicissitudinis paroxysmorum est expers, vnde non sentiunt se febrire, licet pectus intus flagret æstuetq;, pulsus est celer, ac imbecillis, crebro altumque respirant, vires suas sentiunt magis magisq; frangi, expirantq; fœdam animam, vrinæ sanorum ideam repræsentant, facies erysipelatis pallorem ostendit. Ab humorali igitur distinguitur, (hoc est, cum venenum in humidas cordis partes sæ-

Signa hectica pestilentis.

Signa febris pestilentis humoralis.

uit, quod fit cum natura vel diætæ vitio huic lui humores cordis fuerint obnoxii) nam in hac ægri se febricitare sentiunt, & interna maxime flagrant, imbecillis pulsus est, sed non ita vt in hectica, ineunte morbo sunt soporosi, postea ob acerrimam putrefactionis vim vigiliæ vrgent atq; delirant, sitis adest inexplebilis, ciborum fastidium, profluuia alui colliquatiua, vomitiones, vrinæ confusæ, sudor fœtens, sanguis substillans, bubones, carbunculi, furunculi, anthraces. In hac peste certe sunt prognoses & mortis indicia, si facies sui fuerit dissimilis, ac denigretur, pustulęque nigræ, violaceæ, vel virides ante diem decretorium exoriantur. Et licet crisis, Galeno teste, magis ad salutem tendat quam ad mortem, in pestilentibus tamen febribus contrarium euenit, quæ non vera Crisis est, sed potius symptomaticus motus, ob materię veneficę stimulos, nulla concoctione præcedente, & licet aliquando ea præcesserit, nocumentum tamen in corde impressum infirmum necat. Itaq; ante omnia Medicus prouidebit, quoniam pestis est morbus peracutissimus, qui ad statum citissime properat, ne aliquis ignauiæ detur locus, nullæque quærantur induciæ, sed ilico remedia adhibeat, quamprimum scilicet caput cunctaq; membra grauari incipiant, iisq; vtatur medicamétis, quibus cor erigatur, acà venenata qualitate seruetur immune.

Carbunculus violaceum, anthrax nigrum, furũculus albũ habet caput.

Nota.

Officium boni & fidelis medici tempore pestis.

Car-

Carbunculi multi paucis ſunt magis funeſti, at bubones pauci magis calamitoſi ſunt quam plures.

Si ex carbunculis apertis non manat pus ſanioſum, ſed veluti ſpumoſum, malum.

Circa fauces qui effloreſcit anthrax, cita morte eſt funeſtus, eſt enim ſuffocatiuus.

Bubo quanto minor, eo funeſtior.

Et carbunculi minores maioribus ſunt peiores.

Pernitioſi quoque qui guttur, pectus & ventriculi regionem occupant.

In brachiis, femoribus, cruribus & dorſo plurimi peſtis noſtræ graſſantis tempore viſi ſunt, magis tamen in principio quam declinatione, ſed minus fuerunt lethales.

Initio duriores & maiores, pepaſmiq; nulla ſigna oſtendentes magna ex parte lethales deprehenſi ſunt.

Qui circa oculos eruptionem faciunt, euaſionem vix pollicentur, quin oculi ſequatur corruptio. Vnum hic occurrit, quod præteritum non oportuit. Accerſitus ad Ludouicum Saur ciuem Marpurgenſem optimum conquerentem de intolerabili ardore, tumore, & dolore oculi dextri, primo intuitu, & acceſſu putaui eſſe Ophthalmiam vel phimoſin, verum oculis propius admotis apparuit carbunculus in palpebra oculi dextri aſpectu horrendus. De-

ploratus ab omnibus ſaluus per me, iuuantē Deo euaſit oculo illæſo. Remedium fuit aqua Camphurata cum quibuſdam appropriatis.

Bubone aut Carbunculo erumpente ſi ſomnus ſubrepſerit, malum.

Ante febrem peſtilentem bubonem effloreſcere optabilius eſt, naturæ enim valentis & robuſtæ ſignum eſt.

Copioſæ vrinæ effuſio, vt & ſudores plurimi non ſemper bonum præſagiunt, fit enim id interdum Symptomatice, ſyntexeos & colliquationis vi.

Sudores fœtidi, & frigidi peſſimi, fœtor enim corruptionis index, idque extra decretorios dies, ſi enim critice cōtigerint, ſalutis quandoq; ſunt indicium.

Pulicares maculæ nigræ peſſime, ſanguinis enim aduſti ebullitionem indicant.

Omnis Carbunculus bubone pernitioſior, nunc ex hac, nunc ex illa corporis ſede proſiliens: oritur autem fere ſemper ab exili puſtula milii ſeminis magnitudine, qua ſenſim increſcente pars vritur cruſtoſumq; vlcus quaſi candente ferro inducitur, idque vel nigrum vel cineritium, quamuis interdum etiam à cruſtoſo vlcere ſeu puſtula initium ſumat. Cauſa eius eſt ſanguis craſſus, feruens, retorridus, longe diuerſus ab eo, qui phlegmonem gignit.

Bubonis vero materia, vt minus eſt feruida,

ita etiam minus pernitiosa, sanatione enim suppurat, quia magis phlegmonodes.

Bubones magni procul à corde in partem capacem exclusi, febri & symptomatibus mitescentibus, salutis indicium sunt.

Erysipelas obortum saniem putridam eructans vnaq; partem exedens salutem promittit veneno scilicet à corde auerso.

Aluus lienterica vel dysenterica lethalis.

Pustulæ omnes suspectæ, quæ lassitudinem adferunt.

Salutem denunciant, appetitus constantia, & bene constare mente, si febris remittat omniaque symptomata mitescãt, corpus æqualiter sudet, humor putrilaginosus è corpore erũpat, aluus turbata excernat biliosa, vesica vrinam fundat biliosam & ictericam, intra 4 diem signa coctionis appareant, vel ad summũ 7 & pulsus si boni sint. Morituris pulsus inæqualiter formicat, frigent extrema, pectus & facies frigido sudore madent cum animi deliquio.

Sed horum signorum diligentissima collatio est instituenda, cum sæpe quosdam ambulantes videamus tanquam sani facti, qui paulo tamen post mortui sunt. Vnde recte Gordonius febrem pestilentem deludere medicos dixit, (quod tamen de hecticis potissimum intellige) Et Guainerius monuit, vt nequaquam signis quantumuis bonis fideremus, pessimis delitescen-

centibus, & ob hanc causam in curatione medicos decet esse sollicitos, nec temerariis & ambitiosis medicamentis certam salutis spem polliceri, quod agyrtarum & circumforaneorum est proprium. Quidam, si signa sint dubia & incerta, proiiciunt lac mulieris lactantis masculum in vrinam hominis peste infecti, id si petierit fundum, moriturum ægrum, si non, euasurum dicunt. Experimenti via omnibus patet. Ego optimum esse iudico, trium facultatum robur explorare, indeq; de salute vel morte ægri pronunciare. Hactenus fuerunt signa prognostica, sequuntur symptomata, quibus peste infecti solent inquietari.

DE LEIPOTHYMIA & apothymia.

Iure quis cuncta pestis symptomata calamitosos morbos dixerit, adeo dirum & ferum malum est pestis. Quare nihil in peste pestilentius est, quam cunctari, vel efficacia remedia non habere in promtu. Nam vbi aliquantulum proserpsit, respuit omne fere remedium. Cum autem in omni peste præcipue afficiatur cor, viuificumq; eius nectar, hoc est, spiritus & calor, quos dissipare & depopulari venenum pestilens cum aggreditur, necessario fit debile, induciturque propter hanc cordis imbecillitatem, quam sequitur impotentia micandi, symptoma,

ptoma, quod dicitur ſyncope, leipothymia & apothymia, id eſt, deliquium animi, triſtitia & anxietas cordis, quę cunctis peſtibus iuncta cernitur. Nam diſſipato cordis nectare viuifico, neque diaſtole ſufficit ad hauriendum ſanguinem è caua vena & ſpiritum ex pulmonibus, neque ſyſtole ſuum facit officium in expurganda fuligine à corde per arterias tanquam per canales & aquæductus in vniuerſum corpus. Confeſtim igitur cor roborandum, æſtus febrilis temperandus, malignitas arcenda, fuligines excludendæ, & ſuccorum abundantium copia abſcindenda. Ac primo veniat hic in mentem aphoriſmus Hippocratis 11. lib. 2. facilius eſt potu refici quam cibo, potu, id eſt, alimento & medicamento liquido, & concoctu facili. Ex medicamentis præcipuam gloriam obtinent, aqua cinnamomi, citri, & roſarum, ſpecies electuarii de gemmis, diarrhodon Abbatis, diamargaritum frigidum. ℞. aq. Cinnam. roſar. citri, ſingularum vnciam vnam. electuar. de gemma diarrhod. Abb. ſingul. ſcrupulum vnum, miſce & propina duabus vel tribus vicibus. Calida omnia ſeorſim exhibita hic improbantur, & à diaphoreticis ac ſudoriferis calidis omnino abſtinendum, calorem enim & incendium augēt, magiſque inflammant, quod certa experientia compertum habeo, ac nimis temere agunt qui ea propinant. Frigida omnibus modis iuuant,
vt

vt ſerum lactis cum aceto, aqua roſar. florum Nymphee, nucum viridium, (quæ maximarum eſt virium & in refrigerando, & veneno reſiſtendo, præſertim aliis commixta, obque id in pharmacopoliis noſtris non poſtremum ei locum aſſignaui) aqua cum aceto roſarum, meliſſæ, lauendulæ, fragorum, vel fructuum rubi, aqua cichorii, ſonchi, acetoſæ, borrag. bugloſſæ, endiuiæ, tormentillæ, quinquefolii, aquæ camphuratæ (quæ in lue peſtilenti ſunt inſignes) & acetum camphuratum, quod ſimiliter venenum potenter debellat. Seorſim autem dictæ aquæ non exhibendæ, quoniam parum iuuant, ſed commiſcendæ ſunt inuicem, habitaque ratione caloris putredinalis & κλείνοντος ilico, ſine mora & ſæpe propinandæ. Hoc ſalutare deprehendi, ſi æger drachmam vnam terræ ſigillatæ Strigenſis, & pulueris bezoardici ſcrupulum dimidium cum aqua nucum vel acetoſæ vnciis *6.* vel 7. ebiberit, ac ſudarit, nam frigida ſudorifera tuto hic exhiberi poſſunt, quia calidi innati diſſolutionem impediunt, quam calidiora inferrent. Sequuntur iam aliquot deſcriptiones aquarum compoſitarum, quarum vſus legitimus peſtis tempore maxime ſalutaris eſt deprehenſus.

℞. aq. nuc. vncias 4. acetoſæ, borragin. bugloſſ. roſar. ſingul. vncias 2. propina duab. vel tribus vicibus. (Duplicem aquam nucum in pharmaco-

Not.

macopoliis nostris curaui destillari, vnam sine, alteram cum vino. Illius vsus est, cum simpliciter refrigerare, huius cum & refrigerare & cito reficere erat intentio. Prestans enim alicuius virtutis & qualitatis vehiculum est vinum.)

Aqua cordialis mea spiritus recreans, cordi strenuo propugnans, venenumq; oppugnans.

℞. aqu. nuc. cum vino vncias 4. borragin. buglos. meliss. acetos. singul. vncias 3. corticum citri recentium. arantiarum incisorum singulor. vnciam semis. florum rosmarin. rosarum rubr. sin. pugillum. santali citrini drachmas 2. Indantur vitro, macerentur vt decet, adde camphuræ scrupulos 3. croci integri scrupulum. Dentur vnciæ duæ, tres, pluresue pro ratione ęgrotantis. Hæc aqua tempestiue adhibita multis fuit salutaris.

Plurimum quoq; adiumenti attulit ægris aqua mea vitæ, seu extractum vitale, cuius guttas aliquot exhibui cum aquæ nucum simplicis, vel etiam acetosæ vnciis 4. Prostat autem hoc extractũ in nullo pharmacopolio, neminemque agnoscit nisi suum autorem. Non tantum autem facultatem vitalem roborat atq; conseruat, sed animalem quoq; & naturalem, quod ii testatum facient, *Extractum autoris in peste comprobatum.*

facient, qui in & extra pestem eo felicissime vsi sunt. Deo laus, honor & gloria.

Aqua Camphurata, refrigerans, & confortans.

℞. aq. acetosæ. borrag. bugloss. fragar. angel. sing. vncias 4. Scabios. vncias 3. Camphoræ scrupulos 2. misce diligenter.

Alia.

℞. aq. Meliss. Carduiben. acetos. angelic. cichor. fragar. borrag. bugloss. Singular. vncias 4. ligni sassafr. vnciam semis. camphur. drachmam vnã cum dimidia, misce secundum artem. hanc in frequenti habui vsu: dedi vncias 3. vel etiam plures vna vice: qui retinuerunt, euaserunt, qui primo & secundo euomuerunt, mortui omnes sunt.

Nota, Sassafras propter siccitatem strenue corrigere putredinem, propter tenuitatem attenuare & penetrare, propter amaritudinem detergere, propter caliditatem resoluere, propter denique odorem spiritus reficere, ideoq; vtiliter in peste adhiberi.

Acetum Camphuratum opt.

℞. aq. angelic. calendul. acetos. meliss. singular.

gular. vncias 4. aceti roſar. lauendul. ſingul vncias 6. florum cordial. ſingulorum pugillum. ſantali citr. & rub. ſing. drachmam cum dimidia. camph. ℥ı. S. croci integri ʒ 5. Miſce. hoc acetum peſtis tempore optime conuenit ægris, ſi propinetur vncia vna, duæ vel plures, temporaque ac pulſus, NB. frequenter eo irrorentur. præſtabit etiam regionem cordis eo madefacere. Alias inflagrante cordis incendio ſummo aquam roſarum, & acetum, quãtum lubet, diarrhodon Abbat. ℥ı. rubroque panno impono cordi. Simulque propino iulapium ex aqua Meliſſ. & ſirupo citronum cum ſpiritus victrioli ſufficiente quantitate. Recreat, reficit, refrigerat ęſtumq; reſtinguit & ſitim.

Poſt medicamentorum corroborantium adminiſtrationem in procinctu debent eſſe offæ & iuſcula analeptica & reficientia, ſint autem condita ſantalis, garyophillis, cinnamomo, mace, roſis, ſaſſafras & ſimilibus. Vel ſumat buccellam panis triticei intinctam aqua roſacea & cinnamomi, vel etiam vino maluatico optimo.

℞. caponem vel pullum, coquatur aqua larga donec exoſſetur, totus contundatur, decoctoq; reddatur, adiectis mace, roſmarino, & modico croci, macerentur per hor. aliquot, tandem totum decoctum cum pullo fortiter exprimatur ad vſum.

Si vero celerrima refectione opus eſt, vt certe non raro eſt, ea fiat odoribus. Itaque fiat olfactus cum aqua roſar. & aceto, facies aſpergatur aqua roſata camphurata & crocata.

℞. aq. roſar. vncias 4. camphur. ſcrup. vnum. croci ſcrupulum dimid. Miſce. Prodeſt etiã vinum lauendulæ, & aqua liliorum conuallium.

Sed citiſſimam & certiſſimam refectionem, affert olfactus illituſq; ad nares, pulſus & tempora, aquæ meæ vitalis, quaſi ex orco ægros ſuffocatos reuocantis. Fumos non vendo, experiatur, qui dubitat. Agyrtarum & Pſeudomedicorum eſt, ambitioſis & ceruſatis medicamentis mundum decipere, dum fallacibus ea ornant encomiis, à quibus verus medicus merito abhorret. Tantum de primo Symptomate, videlicet leipothymia.

DE SOPORE.

Non eſt permittendum vt æger altum dormiat, venenum enim intro rapitur, ſeu veneni fit palindrome & recurſus in cor, cum omnino ab eo reuellendum, foraſq; prouocandum ſit, Hinc ipſum etiam vulgus ſomnum prohibet, motum imperat, idq; longo didicit vſu, quod ratio confirmat. Nam per ſomnum lues intro ad principes partes appetit, inq; ima corporis colligitur. Quẽadmodum igitur febres omnes ſomniculoſæ periculo non vacant, laborem enim faciunt timores, conuulſiones, tremores, ſic ma-

xi-

xime exitiales ſunt ſoporoſæ peſtilentes. Scriptum ab Hipp. eſt, In quo morbo ſomnus laborem facit, mortale, ſi vero iuuat, non mortale. Laborem facit, qui præter naturam eſt, iuuat qui naturalis eſt, vt in declinationibus tum totius morbi, tũ particularis acceſſionis. Præter naturam vero eſt, qui fit in acceſſionum initiis, ſymptomata auget, multo ſcili. vitioſo humore in intimum corpus confluente. Naturalis cauſas habet moderatas, at qui præter naturam eſt, contrarias arguit, vt in lethargicis: medius inter naturalem & præter naturam eſt, qui à naturali recedens nondum tamẽ eſt præter narruram, qualis in temulentis & pueris cernitur. Peſtilenti igitur lethargo mature ſuccurrendum, anacollematis, quę frontalia appellantur, vinculis, odoribus, frictionibus, clyſmis, glandib. partiũ vellicationibus, clamoribus, errhinis, odoratu calidorum. Naribus admoueatur acetum acerrimum, quod redoleat garyophyllos, rutham, Sambnci flores, vel maioranam.

℞. rad. angelic. oſtrut. Zedoar. bacc. lauri. ſing. vnciam dimidiam. maior. lauendu. Salu. florum Sambuci vel foliorum eius, roſar. cuiuſque manipulũ. bulliant in aceti libris duab. in duplici vaſe, capiti calide admoueatur, ſtuppa eo made facta, cumq; refrixerit, repetatur, optimum lethargicis remedium, præſcribantur quoque errhina, inferanturq; phœnigmi.

DE PERVIGILIO.

Galen.l.3. de causis pulsuũ tres vigiliarũ causas assignat, calorem, siccitatem, dolorem, quibus totidem contraria remedia opponuntur, refrigerantia, humectantia & anodyna. Hic igitur prosunt sorbitiones hypnoticæq; potiones ex hordeo, & amygdalis recentibus, seminib. frigidis, vt lactuca, portulac. melon. papau. albo vel huius capitibus: dandæ aũt sunt hora somni, vel media nocte, si somni difficultas suaserit. Adhibenda quoq; linimẽta, frontalia, cataplasmata, & lotiones partium inferiorum.

℞. aq. rosarum vncias 6. opii drachmam semis, croci scrupulum semis. Misce, fiatq; epithema fronti ac temporibus sępe applicandum.

Aliud hypnoticum opt. & tutum.

℞. solatri. lactuc. endiu. capitũ papau. cuiusq; manipulum dimid. coquantur aqua, fumusq; per infundibulum recipiatur in nares.

℞. oleor. mandrag. papauer. singul. drachmas 3. vng. populeon. vnciam semis. opii, croci sing. grana 6. cum cera sufficiente fiat linimentum, quo tempora, & frons illinantur.

Notandum hic anacollemata opiata pueris & mulierib. epilepsiæ obnoxiis, stuporem inferre memoriamq; in reliquam vitam lędere. Itaq; vsu anacollematum habenda est ratio natu-

rarum

rarum. Vtile quoq; eſt noctu bibere lac ſeminis papaueris, ac comedere coctam lactucã ſaccharo aſperſam. Roſę, flores nympheę & papaueris, folia ſedi maioris, hyoſcyami, portulacæ ſindoni includantur, inq; aqua roſarũ macerentur, narib. & capiti admoueãtur. Si hæc non iuuerint deraſis capillis, coronalis illinatur oleo nenupharis, ſucco lactucæ, nympheæ, ſedi maioris portulace, papaueris. Vel, quod optimũ eſt ℞. corticũ radicum hyoſcyami, radicis Valerianæ, foliorum ſolatri & ſemperuiui, ſingulorum manipulum, coquantur vino & aceto roſarum vſq; ad quartæ partis abſumtionem; linteiſq; madefactis ac tepidis caput, tempora, ac frons foueantur, teſtibuſq; admoueantur, donec rapiatur in ſomnũ. Prodeſt quoq; aqua ſpermatis ranarum pro fotu. Quidam in ſecretis habent ſal nitri præparatum cum aqua vrticæ exhibitum. Præparatur autem hoc modo. ℞. Salis nitri vncias 6. aquæ tantum vt liqueſcat: filtro traducatur, clareſcat, coquaturq; ad quartæ partis conſumtionem: deinde imponantur nitide edolata ligna ſimulque caueæ algenti committantur, nitrumque mox cryſtalli colore agglomerabit ſe lignis, eximatur, & ſuper papyro ſiccetur in ſole vel ad ignem, doſis ad ſeſquidrachmam vſque. Colicis quoque ac pleuriticis doloribus, vtiliter adhibetur experimento non fallaci. Ad ſomnum denique conciliandum mire com-

Salis nitri præparatio & purgatio.

mendatur inunctio capitis cum ſpuma, quæ ſupernatat ſero lactis cum ebullit. Vnguentum item alabaſtrinum.

℞. vng. alabaſtrin. vnciam ſemis. opii ſcrup. ſem. miſc. temporaq; illinantur. Qui Camphorã meo iuſſu è collo verſus cor ſuſpenſam tenuerunt, poſt ſomnum conciliatum recreati ſunt.

DE SITI.

Intolerabile malum in peſte eſt ſitis, arguens defectum humidi, aut caliditatem exuperantem, quandoque cum ſiccitate, aliquando cum humiditate iunctam, aut humores ſalſos ventriculo inhærentes, qui efferueſcentes ſitim excitant. Vinum quoq; meracius & largius epotum non aliter in ventriculo ac muſtum in dolio dum feruet, fumos & vapores calidos emittit, qui poſtea in tunicam ventriculi ſe abdentes ſitis cauſa ſunt, vel in caput ſurſum elati capitis dolores inferunt. Porro in acceſſionum febrilium initio, vt & augmento potus prohibendus eſt, ne velut in fornacibus fabrorum ſuffuſa aqua, aut alio liquore calor febrilis vehementius incendatur. Sed in declinatione cogendi ſunt vt bibant. Et in vigore diutius ſitire pernitioſum, præſertim vbi ſiccitas iuncta eſt. Itaque largiter & confeſtim bibendum, vt ſubito mo-

tu

tu & quaſi contrarietate potus, calor excitatus foras diſſipetur, & interiora ventilentur.

Somnum à ſiccitate ſedat ſomnus, ſanguinem intro reuocans cum ſpiritu, vnde ſiccitas temperatur. Vigilia vero ſitim leuat à calore, hunc enim foras excludit. Vnde qui falernum hauſerunt largius, ac præſentia vaporum fumorumque calidorum ſitiunt, non modo frigidæ potus, ſed vigiliæ etiã remedio ſunt. Siti febrium peſtilentialium ſedandæ refrigerantia conueniunt & humectantia, à calido enim & ſicco eſt. Vnde prodeſt oxycratum, & aquæ natura frigidæ, quibus incocta ſint ſemina maiora & minora cum ſufficiente quantitate ſpiritus vitrioli. Prodeſt & ſerũ lactis coctum cum acetoſa & pauco aceto. Iulapio ex roſis, citriorum ſucco, arantiis, ceraſis acidis, ribes, acetoſa, agreſta: aqua deſtillata ex melonibus, ex prunis albis, & ſolatro cum nitro præparato.

℞. liquir. raſæ vnciam vnam, aquæ libras ij. coquantur, colaturæ adde ſalis nitri præparati drachmam, olei vitrioli tantum vt aceſcat leuiter, aceti opt. vncias duas, da vncias 5. vel 6. optimum ἄδιψον eſt.

℞. Sir. granat. acetoſitatis citri ſingul. vnciam vnam. cum aqu. endiu. & acetoſ. ſingul. vncias 4. & ſpiritus vitrioli drachma dimidia, fiat potus. Sitim extinguit cor & ſpiritus

recreat, & veneno resistit. Vel ℞. (quod in frequenti habeo vsu) rosar. rub. virid. manip. vnum, exiccatarum vero manip. 2. cinnamom. incisi vnciam, coquantur in aqua fontana sufficiente. corroborat, sitimque restinguit. Huc pertinent succus limonum, citri, arantiarum, granatorum cum aquis conuenientibus permixtus.

Optimum & εὐπόριστον.

℞. Salis nitri præp. vnciam. vnã, infundatur in aqua pluuiali, vel aq. pura fontana. coletur, deturque potui. Vel. coquatur saccharum cum aqua sufficiente, adde spiritus victr. quantum satis est.. Cydonia quoq; vidi, vt & pyra humidiora, cucurbitam, cucumerem in rotulas concisa esse, immissaque in vas aqua frigida plenum, vas postea in puteum demissum, vsuque exigente aquam in vehemẽti ardore propinatam. Qui vtuntur hordei aqua, animaduertant an sit mundatum, recens, succulentum, excorticatum, item an glycyrrhiza quæ incoquitur sit recens, alioquin sitis augebitur, non extinguetur. In laudato quoque vsu est vinum granatorum, citriorum, limonum, decocto glycyrrhizæ mixtum & propinatum.

De phrenitide pestilenti.

Phrenitis oritur, cum cerebrum membranæque eius à veneno inflammantur. vnde delirium, mentisque perturbatio, eo quidem vehementior, sæuiorque, quo causa efficiens acrior est & feruentior, maiorisque malignitatis, tum etiam quo impressio est fortior. Hinc quosdam præter sensus interiores & exteriores vitiatos vidimus in furorem actos, astantesque à se depellere, mordendo, cędendo, atq; insiliendo canum instar, quod dictu & visu est horrendum. Et hæc contingunt si venenum agit in humores biliosos. Si enim in pituitosos, oritur cataphora, caros, lethargus, vnde quasi semimortui iacent, quoniam Spiritus animales à corde ad cerebrum ascendentes, sunt crassi, obscuri, impuri, si in sanguinem, pustulæ rubræ variiq; coloris, si in bilem atram, terribilia somnia, &c. Ob diuersam enim humorum cum veneno permixtionem, proq; varia corporum humorumq; conditione ac dispositione variis etiam symptomatibus ægri inquietãtur. Et hæc causa est, cur vix duos aut tres eadem contagione inquinatos, similibus turbari symptomatibus vsquam videas? Porro statim in initio phrenitidi occurrere debemus, eaque adhibere quæ venenum arcent à capite. Itaque exhibeantur quæ veneno aduersantur anti-

Cur pestis tempore nõ omnes iisdẽ Symptomatibus afficiantur.

dota, & iulapio cum ſpiritu victrioli ad acorem. Sique æſtus ſit maximus, detur decoctum hordei & capitum papaueris, cum guttis aliquot ſpiritus victr. aut ol. ſulphuris, bibaturque quantum lubet. Prodeſt oxyrrhodynum tepidum ex aqua roſar. aceto ol. roſato & nympheæ fronti admotum. Linteola vel bombax imbuatur aqua roſarum & aceto, naribusq; immittatur. Hæc medicamenta efficaciora eſſent ſi continerent Camphuræ ſcrupulos aliquot. Itaque Camphuram etiam in minima doſi admiſcendam ſuadeo. Placet igitur remediũ ſequens, quod etiam doctiſſ. Heurnius libro ſuo de peſte annotauit.

℞. albuminis ouorum bene quaſſatorum cochlearia tria, camphoræ drachmam vnã, quam ſinas liqueſcere in aqua vitæ vt lacteſcat, miſceaſque cum albuminibus ouorum affundendo aquam roſaceam vel acetum roſarum, fiatque lac capiti cum ſtuppa imponendum. Sed à frigidis actu abſtinendum plane, neruis enim inimica ſunt, & verendum eſt, ne materia quæ exprimenda eſt & foras prolicienda reprimatur & craſſeſcat, inque lethargum abeat.

Tandem pulmo calidus ex vitulo vel veruece imponatur raſo capiti, idque maxime in vigore, vel etiam ſectam gallinam nigram aut columbam, quod experimento conſtat.

DE

DE INFLAMMATIONE, SCABRITIE & NIGREDINE LINGUÆ TOTIUSQ; ORIS.

Nigreſcit lingua ob immodicum calorem, ſcabrities & aſperitas contingunt ob immoderatam ſiccitatem, teſte Galeno comment. in ſent. 4. l. 4. de ratione victus in acut. Humores enim, (vel potius vapores) ventriculo contenti, à vehementi calore fuſi atque in ſpiritum verſi, ac è reliquo etiam corpore in palatum delati, vbi non habent, quo vltra progrediantur, in lingua poroſa conſiſtunt corpusq; linguæ afficiũt inflammatione, nigredine, ſcabritie, fiſſuris. Scriptum ab Hipp. eſt 4. aphor. & Epidem. 6. quibus plurimum ſiccæ tuſſes leuiter irritantes fiunt in febribus ardentibus, non multum ſiti infeſtantur, neque iis lingua exuritur. Aliquando enim tenuis humiditas in os & linguam defluit, vel frequenti tuſſi è vicinis partibus glanduloſis eadem humiditas excutitur. Pars quoque in partes inferiores defluit, vnde hæc omnia humectantur, ex quo neque multa ſitis, neque exuſtio.

Peſſimum ſignum eſt, cum nigreſcit lingua & ſcabreſcit. Cum inflammatur, id eſt, in tumorem attollitur, quod noſtri vocant Die Breune, accipiatur aquæ prunellæ, acetoſæ, roſarum, cuiuſque ſemilibram, diamori vncias 2. colluatur os. Vel ℞. roſas, ſolanum, ſemperuiuum,

viuum, ſing. partes æquales, coquantur, tepideque os colluatur.

℞. Salis nitri præparati q. l. bulliat in aqua ad duarum tertiarum exhauſtum, tertiam hanc partem patinæ infuſam caueæ ſeu antro ſubterraneo impone, & iterum ſal conglaciabitur. Iuueni drachma, ſeni ſemidrachma datur cum aquæ vnciis duabus. Proſunt etiam quinq; vel ſex grana calculoſis ex aqua petroſelini vel vino.

℞. 5 vel 6 cancros fluuiatiles viuos, ſedi maioris manipulos 3. piſtentur ſimul in mortario, ſuccus exprimatur, quo linguam fricet abluatq;, nec non parum de eo bibat.

Sed in oris & gingiuarum exulceratione ℞. mellis vncias 4. roſar. rub. m. 1. aluminis drachmas 3. coquantur aceto, & aqua, colluatur os tepide. Expertum à me ſæpius.

Ad fauces vero vlceratas & dolentes ℞. foliorum & radicis plantaginis, foliorum quercus ſingul. manipulum vnum. coquantur in aquę libr. 3. In medio coctionis adde diamori vnciam, fiat gargariſma.

Vel ℞. vini albi libr. duas, olei victrioli drachmam ſemis, miſc. ſæpiuſque os proluatur.

Lingua ſcabra hydreleo fouenda ſæpius eſt. Sit autem oleum dulce, aqua pura bene

lo-

lotum, nullaque vitioſa qualitate imbutum. Alioquin ſolo decocto ſeminum cydoniorum, altheæ & maluæ vtendum eſt. Abluta lingua humor qui inhæſit aſpero linteo, vel præparato ad id inſtrumento detergenda & abradenda, ſæpe enim veluti nigra fuligine obducta cernitur, quæ pertinacius adhæret niſi abradatur. Prohibendi quoque imprimis fumi ſunt & reprimendi, qui ex infimo corpore ſurſum exhalant, atque attolluntur, ſaccharo roſaceo, & præparato coriandro, his enim & ſimilibus viæ intercluduntur. Niſi enim id fiat metus eſt, ne horum fumorum raptus in cerebrum phrenitidem excitet.

Ariditas linguæ ſaccharo Cando ore detento amouetur, humectat enim, & deterget. Celſus penicillo vtitur è carpto linteolo, conſtricto, ne diſſipetur, eoq; linguam deterget, quã prius aqua calida perluebat, deinde melle vngit, & oleo roſaceo, illud enim purgat & deterget, hoc reprimit, nec ſinit ſicceſcere. Idem Paulus Æginetha remedium vſurpat roſaceum melli incorporans, plurimumque id commendat. Archigenes ſale Indo vtebatur. Auicenna baculo ruſci aut ſalicis deterget. Decumbere autem oportet ægrum in alterum latus, nam per ſupinos decubitus vena caua & aorta arteria impenſius incaleſcunt, vnde calor auctus linguæ ſiccitatem & aſperitatem infert. Supinis quoque NB.

que

que & hiantibus ore celerius lingua exarescit, nam oris hiatus madorem saliuosum absumit. Sed sternutationes linguam humectant, quia violento motu è vicinis partibus humidis, humiditas in os exprimitur.

De Ictero.

Icterus pesti superueniens sudoriferis curandus. Quibus in febribus, inquit Hipp. in aphor. morbus regius ante diem septimum accidit, malum. Non enim inquit Galenus in comment. ante diem 7 bilis iudicatorie & critice efferri potest. Et licet fiat post 7 diem periculo tamen non vacat, si sit ab obstructione, inflammatione vel scirrho.

Scriptum ab eodem. Hipp. est 1. de morbis popul. multos seruatos, quibus die 4 morbus regius accidisset. Et libr. de rat. vict. in acutis, morbus regius ante 7 si cum horrore, salutem, si sine horrore, mortem: horror enim aut rigor secuturam indicant excretionem. Hæc quia pugnare videntur, sciendum morbum regium ante 7 diem esse plerumque exitiosum, nisi sequatur excretio, vt fluor sanguinis è naribus, alui profluuium, vrina multa, sudor, vomitus, & similia. Alioquin naturæ infirmitas, grauis intemperies, aut obstructio epatis, eiusdemq; inflammatio significatur. Quod si vero excretionem nulla sequatur alleuiatio naturæ & ægri, febris-

que

que ac ſymptomatum diminutio & remiſſio, lethale eſt.

Icterus peſtilens ſeu peſti ſuperueniens maxime ſudoriferis curandus. Itaq; hic proderit aqua theriacalis, purgatio per rhabarbarum & frequens ſpiritus victrioli vſus. Inſigne eſt decoctum abſinthii & ſcabioſæ, fumariæ & carduibenedicti cum radicibus bugloſſæ & angelicæ. ℞. huius decocti vncias vj. theriacæ drachmã ſemis, myrrhæ rubeæ ſcrupulũ vnum, croci ſcrupulum ſemis. ꝓpina. Aperiẽtiũ liberior vſus eſt, cum febris deferbuerit. Oculis cõueniũt fot⁹ ex decocto ſummitatũ fœniculi, florũ chamomillæ, anethi, roſmarini, eademq; aqua facies totumque corpus ablui poteſt.

DE CIBI FASTIDIO, ET DISſoluta appetentia.

Longiori inedia quia vires concidunt, mature appetentiæ eſt conſulendum. Curandum igitur, vt quantum morbus patitur, æger appetat. Nec plane denegandũ eſt, quod æger appetit, licet morbo non ita cõuenire videatur. Voluit id Hippol. aphor. trigeſimooctauo lib. ſecundo: nam ea quæ cum voluptate aſſumuntur, ventriculus facilius amplectitur & concoquit, omnis quippe bonæ conco- *Bona conco-*

ctionis

ctio in quo consistat? Et quinam cibus optimus?

ctionis spes consistit in arcto complexu ipsius ventriculi. Optimus tamen cibus, qui & cum morbo pugnat, & naturæ seruandæ studet, qualem volunt esse Ptisanam. Deterrimus qui neque cum morbo pugnat, nec naturæ studet: qui vero cum morbo minus pugnat, nec minus naturæ studet, Hippocrati loco citato dicitur deterior cum dicit, cibus & potus paulo deterior,&c. Porro dissoluitur appetentia ventriculi, cibique fastidium oboritur,tum à vitiosis humoribus in ventriculo congestis,tum etiam ob virtutis imbecillitatem, quæ calidam vtplurimum sequitur intemperiem. In peste si omnino fastidiat æger, fiant condimenta ex succo cydoniorum, citriorum, acetosæ, ribes: sumatur ius caponis vel pullastrorum in quo decocta sint acetosa,mentha,coriandrum, garyophylli, macis, absinthium. Allii & ceparũ morsu nauseam aliquando tolli compertum habetur. Prosunt quoque cydonia condita cum garyophyllis, galanga condita,cappares, & omnia acetosa, cnm primis acetum rosarum& menthę:sacculus quoq; ex absinthio, mentha,coriandro,santalis,gariophyllis,rosis rub. corticibus citri, & camphura, irroratus aceto rosato, ventriculoque admotus eo tempore, quo non sudatur, optime conueniet.

De

De Vomitu.

Si ſuperfluus eſt, & immoderatus, ſpongia vẽtriculus fouendus, quę imbuatur & madeſcat aceto, in quo coxere nuces cupreſſi, roſę, myrthi baccæ, balauſtia, garyophylli. Vel admoueatur Cataplaſma ex abſinth. cydoniis, & medulla panis aceto coctis. Inſigne eſt decoctum menthæ & cydoniorum cum ribes. Ante cibum detur miua cydoniorum cum victrioli guttis aliquot, optimum præſtat leuamen. Vel ℞. abſinthium & maceretur vino ſublimato, bibatur mane & poſt vomitum vncia vna vel ſemis vomitum compeſcit. Vel. ℞. Sequens ἐυπόριςον. aquæ fontan. vncias 6. Spiritus Victrioli tantum vt aceſcat, propinetur mane frigide ieiuno ſtomacho. Vel. ℞. vini maluatici vnc. 6. olei victr. Romani ſcrupulum S. ſumatur mane & veſp. vncia.

De hydropiſi.

Peſti ſuperuenit hydrops, cum venenati vapores in epar agentes robur eius diſſoluunt. Hic inſigne eſt decoctum aniſi, fœniculi, cymini cum radicibus enulæ & cichorii. Pro pedibus tumefactis fiat balneum ex tapſo barbato, ſambuco, fimo columba-

rum, gallinarum, anserum, & modico salis, coquantur aceto & aqua pedesq; foueantur. Sique hoc fotu incaluerint, ℞. aluminis vncias 2. vel 3. myrrh. aloes, rosarum rub. cuiusque vnciam semis, incoquantur vino, pannoq; albo eo madefacto calide pedes foueantur.

DE VERMIBVS.

Et vermes pestis tempore maxime diuexare solent. Peculiari quadam virtute iis resistit mel, cui permisceantur vel includantur semen santonici aceto maceratum, rhabarbarum, semen ruthę, puluis scordii, aloes corallinę, baccarum sabinę, myrrhæ, seminis hyperici, tanaceti, vel euforbii grana pauca.

℞. fellis tauri vel vacc. vnciam, aloes semunciam, colocynthidos drachm. 2. cum succo absinth. abrotani & tanaceti, adiecta farina hordei & pauco aceto fiat cataplasma ventri inter duo lintea imponendum.

Vel ℞. farinæ lupinor. drachm, vj. fellis tauri vnciam vnam. hieræ picr. drachm. vj. ol. amygd. amarar. vnciam vnam semis. cornu cerui vsti drach. ij. ceræ q. s. aceti fortissimi vnc. ij. fiat vnguẽt. Lumbricos terræ puluerisatos vinoq; propinatos quidam habent in secretis. Nec dissentio. Sed vermem, quem vocant erodentem

NB.

tem

tem & depaſcentem infantibus potiſſimum moleſtum cum miraculo perſanant teſticuli equi infumati comeſti. Hoc remedium huic vlceri eſt vere antipatheticum, quod hactenus à præſtantiſſimis etiam medicis ignoratum fuit, qui in vlcere hoc curando oleum perdiderunt cum opera. *Arcanum non reuelandum.*

DE VOLVVLO.

Iliaca paſſio ſi ægrotum afflixerit, venter foueatur ſacculo confecto ex ſemine lini, anethi, & furfuribus aqua decoctis. potet decoctum cymini, & anethi. Sequens inſigne eſt.

℞. olei ſeminis lini vnc. vj. trociſcorum alhandali drachmam vnam ſemis. bulliant parum, vmbilicuſque diligenter inungatur, vel etiam per clyſterem inijciantur.

Vel ℞. ſtercoris ſuilli qu. ſufficit, coquatur aceto, ſacculoque imponatur. Quod ſi aluus aſtricta fuerit, ℞. ſeri lactis caprini bene cocti & deſpumati libr. vnam ſ. ſenæ mundatæ vnciam ſemis, Zinziberis ſcrup. 1. ſacch. parum. fiat infuſio per noctem, maneq; ebullitio. colati ſumantur calide vnciæ 8.

De erysipelate.

Si pars incendio æstuet, erysipelasque superueniat, ℞. aquæ spermatis ranarum libram vnam, duas vel 3. In quibus dissolue myrrh. thuris, singul. vnciam, camphoræ drachmas 2. calideque imponatur, foueaturque pars æstuans. vel coquantur, tepideque membrum ignescens foueatur. Optimum erit si addideris medianum corticem Sambuci.

DE HÆMORRHAGIA SIVE sanguinis fluore per os, vel nares.

Terribile in peste malum est sputum cruentum, quod oritur ex innatis pectori carbunculis vel aliis tuberculis, fissa sc. vel aperta vena in pulmone vel pectore. Nihil hic funestius. Si enim non rumpantur, ilico iugulant. Si vero vasa his lacerentur, vna cum cruore animam fundunt. quid calamitosius? Ab astringentibus hic omnino abstinendum. Potus sit decoctum Calendulæ, Scordii, Carduibenedicti, Scabiosæ, cum succo citriorum. Decocto etiam hordei cum saccharo, sirupo violato, & succo citri sanguis vitiatus expectoratur.

Si vero ex naribus prorumpit sanguis sequiturq; virium deiectio, vincula, brachiis

ac cruribus inferenda ſunt & cucurbitulæ hypochondriis affigendæ. Potus ſit decoctum equiſeti, plantaginis, centumnodiæ, portulacæ cum trociſcis terræ lemniæ & ſuccini ad drachmæ pondus. Fronti imponatur linimentum ex hæmatite, ſanguine draconis, bolo, albo oui, aqua roſata vel aceto roſarum ſimulque naribus hæc indantur cum lana ſuccida. Pedes & manus fomententur aceto calido & decocto fol. plantaginis & quercus cum gallis & alumine, hic fotus eſt ex multis optimus. Puluis quoq; cranii humani cum ſanguine combuſto naribus inſuffletur. Quod ſi nimium fluant menſes, cucurbitulæ mammillis, lieni & epati applicentur, ſumaturque mane hoc electuarium, ℞. conſeruæ roſar. antiquæ vnc. ʒ. ſuccini, terræ ſigill. ſingul. drachmam vnam ſemis, cum ſyrupo de roſis ſicc. fiat elect. vt decet.

DE ALVO NIMIVM FLVENTE.

Aluus fluens non temere cohibendus eſt, præſertim ſi fœtida & fœda egerat, ac tunc commode exhibetur drachma vel drachma ſemis rhabarbari & corticum myrobalanorum, cinnamomi ſcrupulum vnũ, cornu cerui tãtundem cum ſyrupo de ribes, donec fœtor fœduſq; color remiſerint. Nam id excludendum eſt,

quod adhæret inuolucris inteſtinorum. Vnde parua debet eſſe doſis, ne fiat materiæ raptus ad inteſtina, totum enim per partem affectam purgari non eſt conueniens. Si vires conciderint, da ſaccharum roſatum & cotoneatum. Fœda dyſenteria correptos conſtat ſeruatos fuiſſe allio contuſo, cumque ſaccharo & citriorum ſucco commeſto. Fallopius voluit in peſtiferis febribus aluum ſubſiſtere vſu ſucci & pulueris ſcordii, feruorem enim epatis eo caſtigatum dicebat. Verum præter hæc venter eſt firmandus & roborandus.

℞. fol. menth. roſarum, abſinthii ſingul. manipulum. cyperi, acori, galangæ, Zinziberis, ſing. drachmas duas, maſtichis, thuris, ſing. vnciam ſemis, ſacculo incluſa bulliant in aceto, ventriculoque ſacculus vel etiam ſpongia applicetur. Quidam commendant pulueris ranæ drachmã cum aqua menthæ. Quin & ipſe ranæ aſſæ & comeſtæ proſunt, cum puluere cinnamomi, menthæ & nucis moſchatæ.

DE EXANTHEMATIBVS.

Febribus peſtilentibus quandoque ſuperueniunt puſtulæ ſiue eruptiones, quæ inſtar florum in cute exiliunt, vnde ἐξανθήματα dicuntur, ac carbunculorum naturam imitantur. Omnes autem & ſemper exitiales, niſi purulen-

tus

tus fiat abſceſſus, virtus ſit robuſta, febris remittat, ſpiratio facilis ſit, cæteraque ad ſalutem tendant. Sudorifera præcipuam hic obtinuerunt laudem. Frigida omnia ſunt ſuſpecta foris & intus, propter repercuſſionem. Vide tamen ne nimius æſtus ſuffocationis periculum afferat. Itaque ſudoriferis calidis frigida quædam ſunt admiſcenda Valide expellunt, præſertim rubra exanthemata enula & calendula in vino rubro macerata. Prodeſt decoctum ſcordii, calendulæ, carduibenedicti, endiuiæ, pimpinellæ, Valerianæ. ℞. caricarum & lentium ſingul. vnciam vnam & ſemis, ſemin. apii, fœnic. ſing. drachmam, fiat decoctum, quod bibatur cũ puluere croci & laccæ. foras protrudit. Nam venenum in corpore latitans omni ſtudio foras euocandum eſt, ſcribit Auicenna l. 4. capit. de venen. Senſim autem & ſucceſſiue non coacte & repente ſudandum eſt, ægrique loco continendi tepido, ne primis diebus ſpiracula condenſentur frigore illabente vel afflante. Hoc inprimis notandum, in medicamentorum delectu habendam eſſe rationem ipſius febris. Nam ſi febris eſt ingens & feruens, temperatis, ſi leuis, & remiſſior, fortioribus medicamentis vtendum. *Nota.*

DE APHTHIS.

Si oris vlcera vel puſtulæ ſerpentes ſimul infeſtent, vt plerumque fit, abluendum palatum eſt aqua hordei cui aliquid mellis eſt admixtũ. Deinde fiat gargariſmus ex aqua plantaginis, & diamoro.

℞. folior. plantaginis, roſarum, acetoſæ, ſolatri, caprifolii ſing. vncias tres, camphuræ drachmam S. diamori vnciam, mellis roſati vnciam ſemis, aluminis drachmam, ſalis nitri purgati drachmam ſemis, coquantur, tepidæq; colluatur os. prȩſtat in omnib. oris palatiq; vlceribus.

DE BVBONE ET CARBVNculo peſtilenti.

Peſtilens febris vel characterem ſui veneni oſtendit, bubonem ſcilicet vel carbunculum, vel non, diciturque incomitata. Illa ab omnib. facile cognoſcitur ex bubonibus vel carbunculis erumpentibus, quandoque etiam exanthematis, puſtulis, maculis, & lenticulis per cutim ſparſis. Hæc autẽ ſymptomata peſtilentem febrim vel antecedunt, vel ſubſequuntur, vel ſtatim vna cum febri, vel non diu poſt erumpunt. Ante febrem autem peſtilentem bubonem erumpere præſtabilius eſt, quam ei ſuccedere, naturæ enim valẽtis, ſeu virium adhuc robuſtarum ſignificationem affert. Poſt aures igitur,

tur, ſub alis circa inguina, aut in aliis etiam partibus, bubones, vel carbunculi, ſubito & abſq; manifeſta cauſa erumpentes, non ſolum peſtilentem febrim, ſed etiam differentiam loci affecti indicant. Si enim in collo aut circa aures eruptionem fecerint, cerebrum potiſſimum afflictum ſignificant. Si ſub alis cor ipſum, in inguinibus vero iecur aut lienem. At febris peſtilens incomitata, ideſt, veneni ſui characterem nõ oſtendens difficilime cognoſcitur non ſolũ à vulgo, ſed etiã à peritis quandoq; medicis. Qui ſubito moriuntur, cauſis procatarcticis præcedentibus, peſtilentibuſq; febrib. paſſim graſſantib. licet character veneni ſe non oſtẽdat, peſte nihilominus extincti cenſentur ab omnibus. Vnde cum peſtis publice graſſatur, & febris maligna ſit, veneniq; notas quaſdam oſtendat, peſtilens quoque omnino iudicanda eſt. Cum igitur febris peſtilens characterem veneni ſui non ſemper prodat, ſed carbunculatio interiores quandoque partes occupet, quod ſignum eſt naturæ langueſcentis & perterritę venenum aggredi non audẽtis, ſigna febris peſtilentis incomitatæ diligenter ſunt colligenda. Si enim adſint præter bubones & carbunculos alia ſigna, animi defectus, ſudor copioſus, fœtidus, frigid9, vrinæ craſſæ, turbidæ, fœtentes, vel etiam ſanis ſimiles, vſtio interiorum, externorumq; frigus, animi anxietas, triſtitia, deliria, ad ſomnũ pro-

pẽſio, capitis dolor & grauedo, vomitus creber, aſpectus toruus, appetitus deiectio, pulſus frequens & profundus, ſpirandi difficultas, ſitis ingens, peſtilentem febrẽ adeſſe ſignificatur. Verum hæc ſigna raro apparent ſimul, vnoq; & eodem tẽpore, prout enim mẽbra principalia ſunt infecta & affecta, ita variã etiã ſymptomata fatigant. Nã quib. in præcordiis venenum flagrat, ſiti intolerabili cruciãtur, frigidi aeris inſpirationẽ anhelãt, lingua iis areſcit, nigreſcit, guttur ardore infeſtatur, os vẽtriculi ob vicinitatẽ inflammatur, tenduntur præcordia, tuſſis ſicca moleſtat, & fœtidam reddunt animam.

Signa læſorum præcordiorum.

Signa læſi cerebri.

Cerebro læſo, capitis dolor intenſus adeſt, delirium faciei aſpectus truculẽtus, phrenitis, vigiliæ, vel etiam caros, imaginatio læſa.

Signa epatis affecti.

Epate affecto, vt maxime fit in peſte à deprauata victus ratione, materia venenata ſe in inguina exonerat, membraque naturalia infeſtat, humores deprauati per aluum egeruntur, & vrinarum mutationes cernuntur. Ventriculũ affectum indicant nauſea, & vomitus fœtẽs cũ appetitus amiſſione, & deiectionib. graueolentib.

Signa læſi ventriculi.

Qui tamen accuratius febris peſtilentis recte cognoſcendæ, ſigna inueſtigarunt, primo omnium caloris qualitatem & eſſentiã explorandam ſibi propoſuerunt, ſecundo pulſum, tertio vrinas, quarto reſpirationem, quinto colorem & alia in facie cõſiderãda, ſexto ex variis deliriis

&tan-

& tandem ab excretionib. Calorẽ quod attinet, nõ is simplex eſt & putrefactiuus tantũ, ſed etiã plane venenatus & peſtilẽs, hoc eſt, non prima tantũ qualitate, ſed cõtagioſa & peſtilẽti quoq; cor fatigãs. Febris namq; peſtilens producitur à veneno calido cõtagioſo. Venenũ eſt calidum, quia ꝓducit effectũ calidũ, vid. febrim, quod in morbis veneficis frigidis nõ cõtingit. Eſt quoq; cõtagioſum, quia producit febrim cõtagioſam, quæ ilico multos inuadit atq; ꝓſternit. Itaq; calor in febri peſtilẽti multo ꝑnitioſior eſt, quãm aliis, ꝓpterea ꝙ peſtilẽtiæ ſemina adeo obſcure & furtim inuadũt, vt nullo vnq̃ ſẽſu internoſcãtur, adeo occulta ſunt, cęca & à ſenſib. aliena, vt prorſus nos effugiãt, inopinatoſq; feriãt, nec niſi euẽtu & effectib. deprehẽdãtur. Eſt hoc certe imprimis mortalib. miſerabile, impẽdentẽ ſibi tãtam pernitiẽ ne odore quidẽ ſentire, nec vitare poſſe. Et hęc cauſa eſt, vt prudẽtes Medici peſtilẽtiæ cauſam ad cœleſtes mot⁹ retulerint, certãq; ſiderũ ꝑmiſtionẽ atq; cõcursũ. Id ꝙ erudite demõſtrat Fern. l. 2. de abdit. rerũ cauſis. ſed ad τὸ ἔργον.

Bubo vel carbunculus prius apparẽs quam febris mitiorem ſemper peſtẽ denunciat, nec nõ robuſtam cordis naturam veneno laceſſitam, huius nonnihil foras propuliſſe. At poſt ortam febrim ſi prorumpit, dominantis veneni id impetu fieri cenſendum eſt, naturæq; ſuccumbentis pernitioſum habetur indicium.

Bu-

Bubonis pestilentis curatio.

Bubonis curatio, in principio ſi apparet, minime eſt negligenda. Naſcitur bubo, cum pars princeps in ſibi dicatas à natura glandulas venenum eructat, quales glandulæ ſunt in axillis, inguinibus, poſt aures, & ceruice. Statim igitur venenum extrahendum, aut cum cucurbitulis, ſine ſcarificatione, aut medicamento conueniente. Primo enim attrahere licet cucurbita, poſtea fouere, nam fotum, præſtans in diro bubone, remedium eſſe experientia compertum eſt, perenni ſiquidem fomentatione venenatus ſpiritus liberrime eliciuntur & expirant. Inprimis autem cauendum, ne veneni fiat palindrome in cor. Quare à ſtipticis & apocruſticis abſtineto. Male faciunt qui neglecto fotu ſtatim ea applicant, quæ pepaſmum promouent, nam venenatum vaporem retinent excipiuntq;, inq; cor eum refundunt. Quare antequam pepaſtica adhibeantur, fouendus bubo eſt per dies aliquot, decocto chamomillæ, ſcabioſæ, meliloti, ſcordii, ruthæ, radicis altheæ, florũ anethi, ſambuci, liliorũ alborũ, calendulæ, maluæ. Si ſacculo incluſa vna coquãtur ſulphur, ſal nitri, & crocus, cum argilla multa, euadet præſtantius. Linteola autem triplicata decocto immerguntur, calideq; imponuntur, & ſingulis horis mutantur. Spongia quoque bubo foueri primum, ac poſtea eãdẽ imponi poteſt, hac cautela, vt prius, quam applicetur, aqua tepida probe exprrimatur

Error practicorum quorundam.

tur

tur abluaturq; aliquoties, ne vapor venenatus, quem imbibit, ea retentus, ad interiora regurgitet. Hoc autem tamdiu agendum, donec tumor omnis ſit diſcuſſus, vel ſuppuret, quod in bubone ſæpe contingit, vel dum liueſcat, quod carbunculo euenit, poſtea admouentur cętera malactica, & tandem purgantia. Ab æſtuantibus & nimis aridis abſtinendum, vt arſenico, fermento, calamintha. Quod ſi tumorem ad ſuppurationem feſtinare animaduertatur, veneno magna ex parte per fomentationem diſcuſſo, imponi poteſt mica panis recentis decoctū cum chamomilla, ſcabioſa, rutha, malua, altheæ & lilii radice, aliquot çepis, caricis pinguibus, ſemine lini & fœnugræci. Hæc cum axungia porcina recenti liquata & colata redigūntur in formam cataplaſmi. Si vero nigreſcit, ſubſidit, & liueſcere incipit tumor, ad interiora viſcera minatur palindromem, tunc admoueatur cucurbita cum ſcarificatu, fiatque cataplaſma ex conſolida maiori, ſcabioſa, ficubus pellicula detracta, rutha, radice altheæ, lilii, cepa, cum theriaca & croco, omnib. aqua incoctis. Valet & diachylū cum oleo viperino. Chirurgi adhibent actuale cauterium ad venenum ſubito extrahendum, ſed magno ſæpe cum ægri damno. Niſi enim abſit febris, corporique adſit robur, id nequaquam tentandum. Et in delicatis mollioribuſque corporibus nunquam. *Cauterium actuale.*

In

In rusticis valde robustis id tentatum esse annotauit Petrus Forestus libr. sexto obseru. 19. Cum cautione igitur, vt idem Forestus recte monet, cauteria actualia sunt imprimenda, ne scil. ob dolorem subsequantur vigiliæ, febris augeatur, viresq; exoluantur.

Quidam buboni applicant cæpas coctas & contritas cum sinapi albo recenter molito. Sinapi albũ si defuerit, eius loco sumatur theriaca, cũq; cepis cõtundatur, ac misceatur, neque alio attractiuo vtũtur. Intra 3 aut ad summum 4 dies bubonem hoc remedio maturari aiunt. Nec inficias iuerim, theriaca enim insigni pollet vi attrahendi, cepæ vero emolliendi aperiendique. Verum, si bubonem suppurare animaduertas, noli expectare maturitatem, sed caustico, vel alio quodam medicamẽto ilico aperi, vt veneno pateat exitus. Atq; hic locum habere potest cauterium potentiale, quod sic parabitur.

Cautio necessaria.

Cauterium potentiale.

℞. cantharid. ppt. drachmas 2. fermenti acris, sinapi albi sing. drach. vnam semis. camphoræ scrupulum vnum, aceti scillitici quantum sufficit, linteolo buboni vel anthraci superponatur donec vesicam excitet, quæ postea configenda est, & aperta detinenda.

Pepasticorũ & helcticorum remediorum sylua.

At quoniam hic iterum metus est, ne canthariides naturæ membri, quod occupat bubo vel anthrax, maiorẽ noxã inferãt, subdam remediorum quorundã farraginem atq; delectum, quæ expe-

experientia docuit in emolliendo, maturando, rumpendo & extrahendo esse probatissima.

℞. emplastri meliloti, diachyli cum gum. sin. vnciam vnam. ammoniaci, galbani, sing. vnciam semis. salis nitri purg. drach. 6. theriacæ veter. drachmas 3. cum oleo scorpionum fiat vnguentum. maturat, trahit, rumpit.

Aliud validissime rumpens & attrahens, quo 24 horarum spatio ingentem ac ad stuporẽ vsq; induratũ bubonẽ in ceruice vxoris Lehmanni, sartoris & ciuis Marpurgensis nunc peste extincti, aperui, ac postea curaui, quẽ Chirurgus, tres vltra septimanas manum ei admouens, suo fermento nec aperire valebat, nec emollire.

℞. Emplastri meliloti, diachyli cum gum. sin. vnciam vnam. Salis nitri purg. allii, sing, vnciam semis. sterc. columb. drach. ij. croci camph. sing. drachmã vnã, theria. antiq. drachmas iij. cũ succo ceparum & scabios. suffic. fiat vnguent.

Aliud.

℞. Sinap. alb. nitri. stercoris columbini, singu. vnc. semis. vitell. ouorum num. iij. succi raphani, quantum sufficit ad incorporationem, imponatur de die sæpius.

Aliud.

℞. farin. trit. vncias ij. Salis nitri vnc. S. stercoris

ris columb. allii, ſing. drach. 2. croci ſcrup. 2. cum ſucco ceparum fiat vnguentum.

Aliud præſtans & inſigne.

℞. diachyli cum gumm. vnc. 2, bufonis torrefacti & in puluerem redacti vnciam vnam. croci drachmam vnam, aquæ theriacalis drach. 3. cum cera fiat vnguentum.

℞. radic. alth. allii, ſeminis lini, ſing. vnciam vnam, croci drach. ſem. ſalis nitri vnciam ſemis. coquantur oleo vel butyro, non ſalito, calideq; imponantur ſæpius.

℞. bufonem torrefactum, coquatur oleo & imponatur.

℞ ranam viridem fluuiatilem, viuuſque alligetur buboni, mortuus auferatur, aliuſque applicetur. Meo tamen iudicio, videtur commodius eſſe, modo nominata animalcula oleo ſuffocare ac leniter incoquere, vnguentiſque oleum poſtea admiſcere.

Attrahens ratione caliditatis & ſimilitudinis.

℞. diachyl. cum gumm. vncias ij. ſalis nitri Sulph. ſing. vnciam S. allij, arſenic. ſing. drachm. iij. ſtercoris columbin. bufonis torrefacti ſing. drach. ij. olei roſat. vnciam vnam. cum cera fiat vng. Sed his & ſimilib. vtendum, cum bubones adeo ſunt maligni & contumaces, vt omnium *Cautio.*

ape-

aperientium medicamentorum vim aſpernentur, febriſq; ac dolor remiſerint, his enim vigentibus, iis abſtinendum.

Aliud opt. & efficax.

℞. empl. melilot. diachyli cum gummi ſing. vnciam, ammoniac. galban. ſing. vnc. ſ. ſalis nitri drach. iij. croci, camphur. ſingul. drachm. ſ. aceti theriac. drach. iij. ceræ quantum ſufficit.

Vel coquantur flores & folia chamomillæ, fol. caulium & ruthæ, cepa & allium cum radicibus altheæ, liliorum alborum & ſtercore columbino in formam emplaſtri. ἐυπόριςον eſt & experientia comprobatum.

℞. calcis viu. ℔. vnã. aluminis rochæ cineris cribrati & purgati ſing. vnc. ʒ. fiat lixiuium, induretur que materia, & quantitate auellanæ vnguento alicui miſceatur.

Aperto autem bubone, ſi nulla ſanies, pus aut virus effluxerit, vt plurimum moriuntur. Si mollior fuerit & maturior, ſcalpello aut nouacula aperitur. Si ex inciſione nimium effluxerit ſanguis, ſiſtatur is aloe, thure, quæ leporinis pilis ouique albumine excepta, imponenda. Si poſt apertionem dolor infeſtet, maturatiuum, & pro ichore pus generans ſeu pepaſticum medicamentum ad tempus apponendum. *Not.*

℞. terebinthin. vnciam vnam. oui vitel-

lum, olei rosati quod satis est. Cum vero ad plenum pepasmum ventum est, mundificatiuum ex apio, farina hordei & puluere ireos applicandum est, cum terebinthinæ & mellis rosati partibus æqualibus, hæc vlcus mundant, quibus addi possunt succi nicotianę, carduiben. senecionis, pimpinellæ, scrophulariæ, scabiosæ, scordii. Tandem mundo sc. vlcere consolidantia ad perfectam sanationem adhibẽda, vt Sarcocolla, thus, myrrha. Quod si vero intus nigricat vlcus, nec tamen serpat, praua caro consumenda venit sequenti vnguento.

℞. mellis opt. vncias tres, æruginis, aristolochiæ rotundæ sing. drachmas duas. Vini vncias vij, coque omnia ad mellis consistentiam. Si serpit, coerceatur, adiecta ad præscriptum vnguentum, ægyptiaci parte. Quod si adhuc caro putrida euinci nequit, imponatur sequens emplastrũ. ℞. victr. romani crudi drachmas vj. minij sescunciam, ceræ, olei, singul. vncias vj. fiat emplastrum. Si nec hoc remedio auelli poterit, caustico inurenda, & crusta recenti butyro eluenda, vlcusq; secundum artem consolidandum. Hactenus de bubone.

DE CARBVNCVLO PESTILENTIALI.

Carbunculus vel anthrax, vel etiam furunculus pestilens appellatur, quod vrat partes, è quibus prorumpit instar carbonis, est enim vl-

cus pruriginosum, flammans, exedens, crustaceumq;. Et fit ab exusto, retorrido venenatoq; in peste sanguine. Hæc autem exustio, prout vehementior est vel remissior, sic ipse carbo quoq; vario charactere emicat. Quo aũt latiores & plures eo meliores sunt carbunculi. Arceantur ægri à ꝓfundo somno, est enim lethale si pedib. manibusq; algescant, & stertãt profunde, incendiũ enim intus augetur, venenumq; ad correpit subito. Stertentes igitur excitentur, viuantq; ac vigilent læti, nam Thucydides autor est, metu anxietateq; occupatos maxime interiisse. Propinentur sine mora antidota, quæ sudores eliciunt. Detur theriaca cũ aceto sambucino, præsertim si ante 7 vel 8 horas prȩteritas anthrax vel carbũcul⁹ eruperit, secessum enim mouet & vomitũ sudorẽq; pellit. Bibatq; de sequẽte iulapio refrigerante, siccante, corruptioniq; & putrefactioni resistente. ℞. calendulæ, endiuiæ, scordii, pimpinellȩ, valerianȩ, borraginis, sin. semimanipulũ, infundãtur decocto hordei. Colaturæ adde sirupi acetosȩ, acetositatis citriorũ, vel cardui bened. vncias iij, olei sulphuris vel victrioli tot guttas, vt suauiter & leuiter acescat. Cordi muniẽdo applicetur panno rubro tepide sequens epithema. ℞. aceti rosar. vncias 4. aquæ rosarum vncias vj. infunde melissæ, scordii sing. semimanipulum, diarrhodonis Abbat. ligni sassa. sin. scr. ij. camphur. scrup. vnum, redintegretur aũt cum

exaruit. Hoc epithemate foueantur quoq; pulsus linteolis madefactis & adalligatis. Si materia sursum vergit rapiturque ad caput cum dolore & ardore, accipiatur fimus columbinus cum aceto sambucino subactum & folio caulium, pedibusque supponatur. Temporibus vero sæpius applicetur sal nitri aceto liquefactum. Ipsi autem tumori, hoc est, carbunculo fotus, ineunte morbo, per aliquot dies feliciter adhibetur. Obseruatum enim est, iis, qui in fomentando perseuerabant, carnem exiguam secessionē fecisse, ac excidisse. Carbunculus, si imbellis est nimiumq; ferox, ita vt ad pepasmum perduci nequeat, scarificandus est, vt corruptus sanguis eliciatur. Vel accipiatur fermenti consolidę, scabiosæ vel cynoglossæ vncia, cantharidum semūcia, fiat pasta cū oleo scorpionū, imponatur.

Extremum remedium est ferrum ignitum, quo adurendus est. Sed ne palindromem à causticis faciat humor, dolorq; intendatur, ℞. ficuum tunica detracta, nucum, singul. vnciam, farinæ hordei vncias tres, succum apii, plantaginis absinthij, nicotianæ, pimpinellæ, senecionis, cumque melle & terebinthina lota fiat coctio, imponaturq;. Hoc absterget simul, & purgat. Purgatū vlcus diu fluat, tādēq; carne repleatur, vt de bubone dictū est. Emplastrū ex alliis insignem vim habere ruptoriā & attractoriam experientia non fallaci cōpertum est, nam ipse

in

in allio magnũ aduersus pestilentem luẽ præsidiũ deprehendi, & à quo prius natura mea plane abhorrebat, postea in tantã cũ eo concessit familiaritatem, vt etiam alimenti vicem suppleret. Nugatorium enim est & vulgi opinio, allium venenum ad se allicere. Sed de allio plura alibi. Non enim omnia iam omnibus.

Deus Opt. Maximus suos clementer tueatur, cui sit honor & gloria in æternum.

DE CONTAGIONE, EIVSQVE *natura & causis ardua disquisitio.*

1. Vt Lector prolixitatis tædio leuetur, & difficultatis liberetur spinis, nec in densa errorum vepreta præceps feratur, doctrinam de cõtagio, de quo aliquid philosophari, non est περιεργία ἀχρήστου πράγματος, proponam per themata.

2. Ex veteribus fere nullus visus est, qui de eo aliquid literis consignarit, vno Aristotele dempto, qui probl. 7. sect. 1. & probl. 8. sect. 7. perobscure naturam eius adumbrauit verius quam explicauit, dum quærit, cur sola pestis ex omnibus morbis eos inficiat maxime, qui ad ægrotantes propius accesserint? Item. Cur qui phtisi, lippitudine & scabie laborant, appropinquantes inficiant, ab hydropicis autem febricitantibus, & attonitis non afficiantur? Harum autem quæstionum resolutio in fine huius disputationis commode subnectetur.

3. Ex recentioribus primus hanc glaciem perfregit Hier, Fracaſtorius, præſtantis iudicij & doctrinæ vir, cuius ſentẽtiã confutare voluit magis quã potuit, Ioh. Baptiſta Mõtanus, veriora tamẽ nõ attulit. Tẽtauit idẽ poſt Montanũ Valeriola. Præter hos nullus mihi viſus eſt, qui vel meliora adducere vel prius inuentis dictiſq; lucẽ afferre conatus fuerit, Thoma Eraſto (ac paucis aliis) excepto, q erudite, perſpicue & ſatis ſolide materiã hãc ꝑtractare eſt aggreſſus quidẽ, ſed iudicio videtur nimis ſe ſubiiçere alieno, eoq; niti. Si tamẽ aliud prꝑſtitit nihil (prꝑſtitit aũt plurimũ) viã certe aliis vlterius ſine errore ꝓcedendi, deq; cõtagionis natura amplius altiuſq; inueſtigãda aperuit. Poſt Eraſtũ omniũ, quos quidẽ ego ſcio, nouiſſime ſcripſit de cõtagio Lud.. Septalius patritius Mediolanenſis in doctiſſimo ſuo cõmentario in problemata Ariſtotelis, cuius de contagione ſententiam paulo poſt ſubiiciam. 4. Quicunque autẽ ex diſceptatione de cnntagio ſe euoluere cupit, eũ nominis ante omnia ſignificata accurate diſtinguere, & nõ oſcitãter obſeruare oportet. 5. Quatuor autem modis, cum de morbis ſermo eſt, vſurpari vocabulũ contagii inuenio. 1. pro morbo per cõtagiũ contracto ponitur. 2. pro ſeminario, ꝙ in aere ſparſum volitat, vel veſtibus aliiſq; rebus inhæret. 3. pro ipſa morbi ab vno ad aluũ trãſitiõe. 4. magis proprie pro ꝓprietate & qualitate certorũ morborũ, qua com-

cōmorātes cōtaminăt. 6. Prima significatio maxime improprīa est. Nā morbus qui seipsum velut multiplicās in vicina corpora profert à cōtagio cōtagiosus nominatnr, cōtagiū aūt perperā dicitur. Sic qui cōtagione acqritur, ex cōtagio natus dicitur, ipsum aūt cōtagiū nō recte appellatur. Et idem tamen contagiosus etiam est, quatenus habet vim seipsum propagandi in alia corpora.
7. In secūdo significato substantiam significat è morbido corpore euolantē, quæ vim in se retinet morbū in sano corpore talē procreandi qualis est ipse, à quo illa prodiit.
8. In tertia significatione nihil aliud est, quam ipsa morbi communicatio, seu transfusio, qua morbus se ex vno cotpore in aliud diffundit.
9. In 4. sensu accipitur proprie, pro proprietate sc. & vi certorū morborū, per quam se extra subiectū suū effundere, inq; aliud ingerere apti sunt.
10. In qua tamen promotione nō existimandū est eos subiectis suis desertis in aliena trāsmigrare. Est enim accidentium de vno subiecto in alia trāsmigratio impossibilis, & de morbis ne imaginari quidē hoc licet, Accidētia enim sunt mēbrorū non humorū. Quapropter sic ad alia arrepunt, vt intetim de suis non recedant.
11. Vnde, si neq; relinquūt subiecta priora, neq; sine subiecto de corpore vno ad aliud traducūtur, recte cōtagiōis seminariū statuitur substātia, quo sensu contagiū in 2. significatione accipitur.

12. Euaporationes enim vehiculum ſunt contagii, tranſmiſſæ ſcil. à contaminante ad contaminatum, eũdem ſpecie morbũ trãſportantes.
13. Ex quibus primo ſtatim limine intelligitur, deceptos Phyſicos eſſe plurimos, dum putarunt contagium per contactum eſſe definiendum, & contactum de omni contagio dici poſſe.
14. Licet enim contagium ab antiquo verbo contago deductum contactum videatur includere, multo tamẽ eſt cõtactus ſignificatio anguſtior, q̃ vt de omni cõtagione pronũciari debeat.
15. Etenim tangere ſe propriè dicuntur, quorum extremitates ſunt ſimul, ſeu quę ſecundum ſuperficies ſe tangunt, iam ſola corpora habent ſuperficies. Ergo inter ſola corpora eſt cõtactus propriè dictus. Vnde ſcite Lucretius,

Tangere enim & tangi, niſi corpora, nulla poteſt res.

Quare, cum contagium, in prima, tertia, & quarta ſignificatione, corpus non ſignificet, per contactũ etiã non recte definietur. Cum enim cõtagiũ ſit affectio & proprietas certorum morborũ, qua ſe poſſunt multiplicãdo ad alios proferre, nõ debet in eius definitiõe poni cõtactus.
16. Quin cõtagioſis morbis affectos ſępius experimur plurimos inquinare, qui ad eos propius non acceſſerint, nedum eos tetigerint.
17. Nec diſtinctio contactus per medium & ſine medio hic locum habere poteſt, quia euaporationes contagium deferentes ab inquinan-

te

re ad inquinatum vſque non ſemper continuãtur, ſed ſæpe interrumpuntur, inq; veſtes, aliaſq; res ſe recondunt.

18. Iam, qui malignum & putrefacientem halitum in pannum ſeu veſtem aliquam expirat, quæ deinde alium multos ſæpe poſt dies contaminet, is non recte dicitur contaminatum tetigiſſe. Sol recte per aerem intermedium radiis ſuis nos dicitur tangere, quia ab ipſo ad nos vſque continuantur.

19. Quod ſi hoc pacto maligna expiratio ab ægroto ad inquinatum vſque ſine interruptione continuaretur, ferri poſſet, qui ſe contactu per medium diceret lęſum. At multis ſæpe menſibus poſt mortem inquinantium maculantur & inficiuntur aliqui à veſtibus, in quas peſtilens expiratio ſeſe abdiderat, vt de continuatione tali ne cogitare quis auſit. Contaminans enim & contaminatus ſępe tam procul inuicem abſunt, vt de contactu ne ſomniare liceat.

20. Sed de ſpiritualibus qualitatibus, an & hæ morbum contagioſum procreare poſſint, non leuis controuerſia eſt. Quidam negando, quidam affirmando procedunt. Negantes melius ſe ſentire arbitrantur. Vt enim contagium fiat, oportet qualitatem realem à contaminante ad contaminatum tranſmitti, quę eundem illum ſpecie morbum in corpore ſano, in quod exporrigitur, generare valeat, qui in ægro, à quo trãſ-

 lata

lata eſt, prius inhærebat, quique inficiente remoto nihilominus in infecto poſſit permanere.
21. At qualitates ſpirituales ſeu intentionales (vt vis magnetis, ſpecifica virtus auri quę reſpicit cor, item lumen ſolis, & ſpecies ſeu imagines colorum in oculo) neque amota re, cuius ſunt qualitates, rebus, ad quas extenduntur, adhærere, neque ſubiecti vires aliis imprimere, neque medium alterare aut in eo perſiſtere valent.
22. Quis enim rerum ſimulacra in ſpeculis poſt res ablatas reſtare putat? quis magnetis virtutem in ferro relictam poſt eius amotionem notauit? quis non in aere, veſtibus, aliiſque rebus contagionis ſeminaria perſiſtere expertus eſt? at hoc non ſpiritualium, ſed realium qualitatum proprium eſt, & in ſubiecto permanentium, debent namque inquinans & inquinatum eandem ſpecie qualitatem ſic obtinere, vt inquinante ablato, inquinatus nihilo minus retineat, quod ab inquinante eſt tranſmiſſum & deriuatum.
23. Et ratio conſentit. Nulla enim qualitas in paſſo permanens, poſt agentis receſſum, à ſpirituali qualitate producitur. An in ferro vis magnetis, ablata omni eius ſubſtantia, vnquam fuit relicta? Vix arbitror dices. Producitur autem à qualitatibus ſubiectum per ſe alterantibus.
Spi-

Spirituales autem qualitates nec medium, nec aliena corpora per ſe alterant. Vnde neque nouam miſtionem inducunt, neq; priorẽ mutant. In contagio autem prius temperamentum corrumpitur ac nouum inducitur. Nam in omni cõtagio eſt corruptio, quam realẽ alterationem oportet præcedere. Vnde à ſpirituali qualitate morbus contagioſus oriri nullus poteſt, quatenus is poſt cauſæ agentis amotionem perſeuerare intelligitur.

24. Neceſſarium enim eſt, vt ſeminarium, quod contagium defert, & morbum in corpore generaturum eſt, ſit præditum, præter tactiles qualitates, peculiari vi alterandi & corrumpendi corpora ad quæ arrepſit, tum etiam vt mixtione corrupta perſtet ac remaneat.

25. Vapor autem ſpiritualis & exiguus ſenſumque effugiens nunquam id perficiet, calefaciendo vel frigefaciendo, alterando vel corrumpendo. Ergo.

Pars aduerſa, hoc eſt, affirmans ex intimis naturæ penetralib. exquirens rationes rerum ſympatheticam antipatheticamq; affectionẽ adducit, aſtruitq;, omnib, & cũctis vniuerſi reb. congenitã inter ſe eſſe cõcordiæ aut diſſidii ꝓprietatẽ, qua citra realẽ & viſibilẽ cõtactũ mutuo afficiũtur & alterãtur. Animaduerti aũt id aperte aiunt in radicib. floribus, metallis, & aſtris quorũ ꝗdã diuina quadã conſortii lege cõſpirãt, quædã per-

perpetuo ſe odio quaſi auerſantur. Licet enim ſpirituales qualitates non ſint abſolutum quiddam, nec poſſint materiæ partibus ſolutis perſtare integræ, inq; ſenſus non incurrant, tum etiam ſecundum modum & exiſtentiam qua exiſtunt, per ſe actionem corpoream & realem non edant, per accidens tamen nihil prohibere aiunt, quo minus per medium idoneum propagentur. Medium autem hoc volunt eſſe ſpiritum, mediæ cuiuſdam inter corporeas & incorporeas ſubſtantias naturæ, qui ſpirituales qualitates, actiones & virtutes in ſe recipiat, aeriq; repræſentet, & cum ſit corporeus, contactu ſuo realiter alteret. Vnde inter contaminantem & contaminatum dicunt eſſe vim attractricem & traductricem, illamq; ſpectare contaminatum vel contaminandum, hanc contaminantem, à quo ſc. deducitur dirigiturq; contagium ad contaminandũ, & hac ratione moueri principium morbidum in contaminandi corpore deliteſcens. In qua actione non eſt neceſſe fieri contactum immediate & ſecundum ſuperficies ſeu extrema, ſed per medium, cum ſc. vis ſpiritualis abſque medii ſenſibili mutatione ad rem vſque tangendam emittitur, vt in magnete. Hæc ſententia licet à communi doctorum conſenſu parum videatur deflectere, non tamen à phyſicarum rerum contemplatione aliena putanda eſt, niſi ſympathias & antipathias myſterium fabu-

loſum

losum quis inscite dixerit, & in natura rerũ locum non habere. Et quisquis ita sentit, is in naturæ secretis explicandis plane cæcutit.
26. Itaq; grauis hic quęstio enodanda occurrit, de qua inter recentiores acriter concertatum esse reperio, de origine videl. cõtagii, an ab occulto & sublimiori principio quã sunt elementa, an vero à manifesto, vt est putredo, ortum ducat? Quæst.
27. Erastus, Septalius, & in vniuersum fere omnes, qui de contagio aliquid memoriæ prodiderunt, contagium non aliunde quam à putredine ortum ducere, absq; putredine nunquam & nusquam contagium vllum reperiri, sed contagium in putredine consistere, quoniam in contagiis omnia tandem putrescunt, constanter affirmant.
28. Licet autem, à viris grauitate & iudicio præstantibus temere & sine ratione recedendum non sit, & dissentiendum, tamen rationes, quas de putredine afferunt, imbecilliores mihi videntur, quam vt in assensum possint me pertrahere.
29. Et quidem recte id annotauit Fernelius l. 2. de abdit. rerum caus. ca. 12. qui erudite de hac quæstione contra disputat.
30. Si enim, inquit, vna putredo, tantæ perniciei causa foret, omnes animantes peræque attingeret.

31. Nam

31. Nam vt ſalubris aer ſpiritu attractus omnia animantia tuetur & ſuſtinet, ita qui à maligna illuuie labefactatur, toti animantium generi æque euadit pernitioſus, & inſpiratus omnes lædit peræque, neque homines magis quam boues, aut hos potius quam oues aut ſues. Hoc tamen rerum euentu arguitur eſſe falſum.

32. Compertum ſiquidem habetur ab omnibus, quod ab optimis agriculturę autoribus memoriæ proditum eſt, eſſe peſtem, quæ ſolos boues, (qualis fuit anno 1514) aliam, quæ ſues, aliam quæ oues iugulet, aliamque, quæ ſolos homines.

33. Quæ pecudes feraſque interimat, pulcre admodumq; eleganter à Virgilio deſcripta eſt,

Hic quondam morbo cœli, miſeranda coorta eſt
Tempeſtas, totoq; autumni incanduit æſtus:
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum,
Corruptiq; lacus, infecit pabula tabo.

Et paulo ante.

Quam multæ pecudum peſtes, nec ſingula morbi
Corpora corripiunt.

34. Si igitur ſoli homines peſtilentia corruunt, num ſimplicem puramque putredinem huius ſtragis dices cauſam? nam hæc animantes omnes pariter attingit.

35. Si nemo dilucide explicare valuit, quis ſit modus, aut quæ ratio eius putredinis, quæ vel bobus, vel ouibus, vel ſolis hominibus ſit infenſa, merito in eorum cenſetur genere, quæ cæca, occulta & abdita vocantur, totaque ſubſtantia contraria & deleteria ſunt, non elementari ſolum qualitate infeſta.

36. Vnde concludit, abditiorem quandam cauſam eſſe quę aerem peculiari veneno labefactet, quod huic non etiam illi animantium generi ſit infenſum, totaque ſubſtantia aduerſum.

37. A cœlo autem certaq; ſiderum permiſtione eam ortum ducere contendit. Et grauem eorum dicit eſſe ſtupiditatem, qui ſidera nihil in aerem, niſi calorem aut frigus, imbres aut ſiccitatem inducere opinantur.

38. Si enim illa bene conſtituta omnem vitam tuentur, cur male conſtitutæ vitæ non incommodent? Huius contemplationis imperitos recte miſeros appellat & infelices, non intelligentes puræ ſimpliciſque peſtilentiæ cauſam eſſe cœleſtes configurationes aerem primo omnium inquinantes, quæ neque temporum mutatione, neque vlla manifeſta qualitate, ſed ſolo euentu deprehendi poteſt. Hæc ex Fernel.

39. Ad-

39. Adde. Si ex putredine contagium oritur primo, tunc putredo, vel quatenus putredo est contagium efficit, vel quatenus talis, insignis scilicet. At horum neutrum affirmari posse videtur. Non enim putredo, qua putredo, alioquin omnis putredo id produceret, quod falsum esse vnusquisq; facile intelliget, qui febres putrefactiuas obseruat, quæ minus aptæ sunt aliis communicari, seu contagione in alios serpere. Nec putredo qua talis id est insignis contagium inducit primo, sic enim in omni morbo contagioso insignis hæc putredo adesset, quod falsum esse, scabies, vitiligo, gallicusq; morbus ostendunt, in quibus nulla febris est putrida, vt loquuntur vulgo, & nihilominus tamen contagii non sunt expertes, vt dicetur paulo post. Si enim essent insigniter contagiosi, ad distans etiam contagium, vt pestis, communicarēt, quod falsum.

40. Cadit igitur vulgaris opinionis veritas, absq; putredine nusquam & nunquam reperiri contagium: potius tenendum, esse contagium vt in febri pestilenti simplici, cuius prima origo visq; maxima in aere sit, quem spiritu ducimus ac haurimus, soloq; halitu sine putredine ferire nos primum, immigrareq; in animantium corpora, in quibus postea putrefactiuam qualitatem planeq; contagiosam, pro corporum tamen dispositione varia, acquirit, ac exuscitat.

41. Iam

41. Iam porro in quæſtionem venit, ex tribus morbi generibus, quinam contagioſi primo & per ſe cenſendi.

42. Certum eſt, nullum morbum de ſuo ſubiecto in aliud migrare, ſed alienum ſubiectum ſubſtantiæ duntaxat tranſmiſſione ſeu transfuſione, naturam & potentiam eandem retinentis inquinare. *Morborum tria genera, ſimilaris, inſtrumentalis & continui ſolutio.*

43. Iam difficile eſt imaginari, quomodo in halitu aut vapore totius inſtrumentalis morbi eſſentia contineatur. Sic nec qui in continui ſolutione conſiſtunt contagioſi per ſe & primo eſſe non poſſunt.

44. Morbi enim ſeminarium qualitatem in ſe habere oportet efficacem. Figura autem, numerus, magnitudo, ſitus, continui ſolutio, non ſunt alicuius actionis principia. Niſi enim aliud ſit mouens, hæc per ſe nihil efficient. Quapropter ſi maxime daretur, inſtrumentales morbos, in vapore tanquam ſubiecto, tranſuehi in corpus aliud poſſe, inutilis tamen eſſet illorum tranſuectio.

45. Quod quantitate quoque magis ac ſæpius peccat, quā qualitate, contagioſum eſſe nō pōt. Cauſæ horum morborum quantitate ſæpius & magis peccant, quam qualitate, facile ergo colligitur, contagioſos eſſe non poſſe.

46. Statuendum igitur, illos morbos contagione multiplicari & diffundi, qui vel halitus ef-

flant, vel alia corpuſcula procreant, totam morbi eſſentiam, inſtar ſeminis cuiuſdam, continentia.

47. Id autem ſimilaribus ſolis conceſſum eſt, ideoq; ſoli & per ſe contagioſi eſſe poſſunt. In omnibus enim affecti loci partibus inſunt, & propterea ad aliena corpora poſſunt ſe promouere.

48. Nam contagioſorum morborum natura eſt, vt in quauis ſubiecti particula toti inſint. Et halitus horum morborum, ex quacunque ſubiecti parte effluxerint, inſtar ſeminis totã morbi eſſentiam obtinent, ſunt enim halitus illi pertinaces, ægreq; alterabiles, ac putredinem adeo pertinaciter retinent, vt eandem imprimere aliis per quam apti ſint. Quæ quia neq; vlceri vlli, neq; inſtrumentalibus etiam morbis competit (ſoli autem intemperiei) per ſe quoque contagioſi exiſtimandi non ſunt.

47. Quod ſi vero contigerit vlcus quoddam contagio afficere, ſeq; ipſum velut propagare, per accidens id fieri cenſendum eſt, quatenus nimirum habet iunctam ſociam intemperiem & putrefactionem. Nam contagium non debet aſcribi vlceri, ſed putredini cum vlcere copulatæ, cum nullum vlcus ſine illa contagioſum dicendum ſit.

48. Eodem ſenſu accipiendum, cum dicitur, in vapore tranſeunte ſeu emigrante tranſportari

ſe-

febrem peſtilentem, non ſc. actu, (nam extra cor nulla febris eſt imaginabilis) quia in vapore non eſt peſtilens febris actu, ſed quia intemperies cum illo vapore eſt, quæ à febre peſtilenti ſolo ſubiecto differt, quæq; per ſe primo talem inducere poteſt. Nam vt calor generat calorem. ſic calor malignus & putrefactiuus calorem talẽ inuehit in cor per ſe, & nõ per aliud quicquã.

49. Intemperiei igitur putrefactiuæ & vehementis proprium eſt alios contaminare, non vlceris & ſolutionis continui.

50. Fieri enim non poteſt, vt vllus vapor in ſe actu contineat qualitatem eandem cum vlcere ſpecie, quam imprimete ſine medio corpori alieno poſſit.

51. Neceſſe enim eſt, vt vehementem prius intemperiem inducat.

52. Quapropter non eſt hic, vt illic actio vniuoca, ſed æquiuoca.

53. Deinde pars definitionis febris, ſcil. intemperies, in putredinis definitione cõprehẽditur, (omnis enim putredo eſt intẽperies calida) nulla aũt pars definitionis vlceris in ea continetur.

54. Itaq; per ſe enunciatur temperatura mala calida de putredine, de qua vlcus enuntiari non poteſt.

55. Nec mirum, cum intemperies & vlcus ſpecies ſint morbi ἀντιδιῃρημέναι, ac proinde de vna eademque re prædicari non poſſunt,

Vt ita, qui eſſentiam contagioſorum morborum accuratius expenderit, nil aliud eſſe deprehendat, quam malignam quãdam putredinem, ſeu prauam ſubſtantiæ, in qua hæret, temperationem, non vlcus aut ſolutam vnitatem, aut etiam organicam conſtitutionem.

56. Sic in febri peſtilenti eſt corruptio venenata, & in huius definitione ſecundum analogiam venenata putrefactio id eſt, quod in definitione hominis eſt rationis particeps. Eſſentia enim rei definitione exprimitur. Et de putrefactione per ſe, primo modo ſic fere prædicatur intemperies, vt animal de homine, & de contagioſa putrefactione eodem modo effertur peſtilens & contagioſa intemperies.

57. Quare, ſicut ad eſſentiam putrefactionis pertinet intemperies calida, ita ad putrefactionis prauæ cor infeſtantis definitionem requiritur praua intemperies calida cordis.

58. Vnde ſi qui ſint morbi, qui nec definiri nec intelligi poſſunt abſq; ea qualitate, quæ contagium nominatur, id eſt, qua ſe morbi ad alios valent propagare & extendere, neceſſario per eſſentiam ſuam contagioſi dicendi ſunt.

59. Quamuis nullus morbus, quatenus morbus, ſeu formaliter contagioſus dicendus eſt, cum contagium ſit proprietas & accidens certorum morborum, ad eſſentiam morbi non pertinens, non ſecus ac breuitas, & diuturnitas

certis

certis modis accidunt, ad eos tamen quatenus morbi ſunt, non pertinent.

60. Itaq; ſi morbus aliquis contagioſus eſt, nec putrefactionem ſeu putrefactiuam qualitatem velut indiuulſum comitem habet iunctam, male pars eſſentiæ in definitione ponitur, videl. putrefactio. Eodem modo, ſi contagioſi morbi qualitate corrumpente & putrefaciente corpora aliena inuadunt & deſtruũt, putrefactionem quoq; adeſſe neceſſario ſequitur.

61. Putrefactiuam enim qualitatem recte corruptionis & putredinis cauſam in aliis corporibus exiſtere ſtatuitur, & vbi principum hoc putrefaciens non eſt, ibi quoq; nulla putredo, nulla corruptio, quamuis non omnis corruptio ſit putrefactio, multa enim corrumpuntur ſine putrefactione.

62. Non igitur approbo Lucæ Stenglii Medici Auguſtani, aliorumq; ſententiam, contagioſos ſc. morbos, qui ex materia excitantur, (ſimplex enim peſtilentia excipitur) citra putrefactionẽ exiſtere: quoniam ſc. ſunt morbi aliqui cõtagioſi (vt inquiunt illi) qui nulla inducta putrefactione adeo violenter & magna vi ſubſtantiam diſſoluunt, vt putrefactioni tempus non ſuppetat.

63. Sed ſecum ipſi pugnant, dum concedunt & fatentur, quod theſ. 61. quoq; monui, putridam qualitatem corruptionis in corporibus eſſe cauſam.

64. Quod si verum est, vt certe est, non video, qua ratione contagiosus morbus citra putredinem seu putrefacientem & corrumpẽtem qualitatem afficiat.

65. Putrefactionis tamen certos esse gradus non inficiandum est. Est enim, quæ insignis dicitur, id est, non tantũ eximia & magna, verum etiam certis signis ab aliis speciebus distincta. Vnde & contagiosorum morborum alii leuiter contagiosi, alii exitialiter tales sunt.

Morbi qui vere contagiosi.

66. Quicunque enim putrefacientem, glutinosum, & κνισμώδη, id est, acrimoniæ aliquid redolentem halitum emittunt, contagiosi recte dicuntur, qui vero siccos & lentore destitutos vapores effundunt, quia adhærescere non facile nec imprimi aliis possunt, raro etiam alios inquinant.

67. Vnde contagii transuectores videl. vapores pertinaciter putrefacientem qualitatem retinere oportet, si morbus contagiosus contagio debeat proserpere.

68. Aristoteles in valde seu insigniter contagiosis requirit ὑπέκκαυμα, quod ad secundas qualitates recte refertur, vt quæ diutius permanere, efficaciusque agere in primis qualitatibus possint, præsertim si calorem actionis suæ socium fuerint adeptæ. Vnde & contagio rectius illis attribuitur quam primis, quæ in subiectis alienis non diu possunt inhærere,

sed

ſed cito prompteq; pelluntur. Id quod præclare exponit Hippocrates libr. de veteri Med. vbi multis oſtendit, quam facile acquiſititius calor ſimplex ex re qualibet profligetur.

69. Contagioſi igitur morbi ſunt, non qui vapores ex ſe mittunt ſola calefaciendi aut frigefaciendi poteſtate præditos, ſed qui halitus effundunt diffunduntque pollentes poteſtate corrumpendi corpora,quibus adhæreſcunt, id eſt, qui præter primas qualitates, quæ facile diſſipantur & hebetantur,vires pertinaciores nacti ſunt,quibus non alterare ſolum vicina corpora, ſed perdere etiam queant & deſtruere.

70. Hæc potentia ſeu poteſtas, putrefactiua ac corruptiua qualitas,vel (quod melius) impreſſio,doctrinæ gratia, recte appellatur, non vero putredo,quod vocabulum perperam huc& improprie ab omnibus traducitur. *Notab.*

71. Dico,impreſſio, quia ab infauſto ſiderum concurſu atq; permiſtione poteſtas talis putrefactiua ſæpe aeri primum imprimitur, vt in peſtilentia ſimplici, quemadmodum ſupra etiam notauimus, quæ poſtea per inſpirationem expirationemq; propagatur,deque vno in alium traducitur.

72. Itaque calor putrefaciens & corrumpens non eſt ſimplex & pura caliditas elementaris,

ſed iuncta eſt cum afflatu aſtrali, poſtea vero in certam mixtionem ſe inſinuat, inque ea conſiſtens qualitas eſt.

73. Velim tamen æquus lector hæc intelligat de calore magis peſtilẽti, calor enim peſtis tempore, flagrans, peſtilens eſt non ex putredine, primum, ſed ex impreſſione aſtrali, qua fit, vt huic animantium generi magis quam illi ſit inſenſus.

74. In aliis morbis contagioſis ex certa mixtione ſæpe oritur, ſicut rubedo, ſalſedo, odor.

75. Quo fit, vt ſine putrefaciente halitu, vel corpuſculo de tota per putrefactionem diſſoluta ſubſtantia, excitato, ad alia corpora tranſmeare non poſſit.

76. Neq; enim extra proprium ſubiectum primarum inſtar qualitatũ (quas in ſubiecto quomodolibet temperato & miſto inhærere poſſe ſupra diximus) fingi debet.

77. Aliæ corruptionis ſpecies vel totum ſimul perdunt, vel effluuia contagium alio tranſportantia non procreant.

78. Siue enim igne crementur animalia, ſiue iugulentur, ſiue ſuffocentur, aut ſtrangulentur, ſiue veneno tollantur, ſiue alia quacunq; etiam ratione perdantur, nunquam expirans halitus qualitatem occiſionis cauſam efficaciter transfert ad alia.

79. Atque huc optime quadrat Ariſtotelis proble-

blema cur Phtisici, scabiosi, & lippientes alios inficiant, hydropici vero aut epileptici non?

80. Id autem ideo fieri ait, quia Phtisici expirant πνεῦμα φαῦλον καὶ βαρὺ, id est, spiritum viciatum & graue, & vt dicā vno verbo, putrefaciētē. Et spiritus phtisicorū à spiritu pleuriticorum, & asthmaticorum nulla re alia differt. Lippi inficiunt alienos oculos, quia patibiles sunt,. ac perfacile rebus visis assimilantur. Scabiosi, quia effluuia in superffcie habent prurientia.

81. Obseruatum est, ex amplexibus & basiis mariti vxori communicatam esse phtisin. Et est in exemplis, tanta cum tenacitate, tantoq; tempore virus illud sæpe seruari in fomite, vt vestes, quas phtisici gestarunt, post biennium demum visæ sint contagium attulisse.

82. Sed & ad distans per anhelitū hæc infectio communicatur, non immediato contactu tantum & ex relicto fomite, vt præcedente thesi dictum est.

83. Cum enim vitium sit in pulmonibus & thorace, ex quibus aer inspiratus ad refrigerandum & ventilandum cor, expiratur cum exhalationibus & vaporibus in eo genitis, si iis in locis sanies contineatur aut pituita putrefacta, necesse est & vaporibus illis putridis aerem infici, vicinoq; aeri labem communicari, qui inspiratus iterum ab alio celerrime eandem pulmonibus labem afflat, iis scil. qui infectum aerem susci-

piunt primo. Celerrime namq; solent ij morbi induci, qui ex spiritibus & halitu communicato producuntur, vt in pestilentialibus febribus manifestum est.

84. Ita igitur Phtisis contagione communicatur, & contactu immediato, & relicto ex fomite, & ad distans per anhelitum. Est enim pulmo viscus, quod prompte & facile ob raritatem suscipit, & per consequens afficitur inspiratione sc. aeris putrefacti.

85. Lippitudo ex iis est, quæ ad lõginqua communicantur & feruntur, sed fomitem vix relinquunt.

86. Communicatur autem tum partis mobilitate, tũ splendore, tum vaporũ transmissione.

87. Cum enim lippitudo ex materia fiat calidiori & subtiliori, nec admodum viscida, ad longinqua exhalationes trãsfundit mediante partis mobilitate & luciditate.

88. Magis tamen cõmunicatur, si assidue moueatur oculus inflammatus, tunc enim exhalationes quãsdam subtilissimas cum lumine simul transmittit adeo velociter, vt momento quasi temporis noxa in alio oculo inspiciente persentiatur.

89. Oculi enim sua natura humidi, molles, affectibusq; opportuni sunt, facileq; morbosis deprauantur radiis, qui cum spiritu à lippientis oculo proficiscuntur.

90. Altera cauſa ex perſpicuitate & terſa oculi ſuperficie ſumitur. Cum enim in oculo externa, tanquam in ſpeculo, omnia repræſententur, inſpecto oculo, inflammatione, & lippitudine ſeu ophthalmia laborante, is qui inſpicit facilime eandem concipere poterit, quoniam cum ſpeciebus, vbi à lucida materia excitantur, vapores permiſcentur, quæ ſi aliquid in ſe habuerint lentoris & acrimoniæ, ſimilem in altero oculo producent affectionem.

91. Confirmat hoc ipſum Rabbi Moſes 24. aph. ex ſententia Galeni l. de motibus, qui tamen liber deſideratur, inquiens, qui primum videt ophthalmia aut cõturbatione laborantẽ, ſtatim ipſi oculos conturbari: quod ſi adhuc attentius inſpiciat, non conturbari ſolum, ſed ophthalmiam etiam contrahere.

92. Et ratio quoq; atteſtatur humores & ſpiritus conturbari, quia, ſi fit attractio humorum per vniuerſum oculum, neceſſario illi miſcẽtur, humoribuſque oculorum & ſpiritibus per oculum diſperſis ac commixtis fit turbatio.

93. Vnde Hipp. libro de locis in homine dicebat, ob humores influentes viſum fieri μαρμαρυγώδη, ideſt, apparere ſcintillas in oculo, atque etiam acumen videndi perdi.

94. Quæſtio aũt hic oboritur, cur ophthalmia laborans ſanũ inficiat, ſanus vero lippiẽtem ſua ſanitate emendare non poſſit? hæc quæſtio olim *Elegans quæſtio.*

olim doctos exercuit ac torsit. Potest & in hunc modum ac sensum formari. Cur, si putrefaciens vapor ab ægris ad sanos putredinem efficacem transportat, non etiam salubris halitus sanitatem infectis restituat?

℞.1. Plura requiri ad constructionẽ rei quam destructionem: & in plerisq; rebus citius bona locum dare malis, quam mala bonis. 2. Deinde non mediocritas excessum, sed hic vincit illam. Morbum autem excessum esse, in mediocritate vero consistere sanitatem extra dubium est. Vnde morbidæ expirationes excedentem in se habentes qualitatem, mediocritatem possunt corrumpere, salubres vero, quarum potentia est remissior, morbos tollere ac extirpare non valent. Merito igitur lippitudo, quæ immodicus quidam habitus est, sanitatem, habitum scil. laudabilem celerius immutat. Nam sanitas temperies quædam est corporis, intemperies autem morbus, facilius autem habitus modicus ab immodico mutatur quam econtra. Quare etiam non mediocria extremis, sed extrema extremis in curationibus recte opponuntur.

95. Adde, quod natura morbos, maxime vero factos curat, non remedia; nisi quatenus instrumenta sunt naturæ operantis. Sed halitus è sanis effluentes, naturæ facultates robustiores aut potentiores, quam ante morbum essent, reddere nulla ratione possunt, quod facile intelligunt ij,

qui

qui, quomodo & à quibus naturæ vires collapsæ aut oppressæ restaurentur, ignorant.

96. In quauis quoque contagione, substantiæ alicuius fit corruptio, quæ nec à natura, nec à remediis corrigi (in mistis enim frustra expectatur regressus à priuatione ad habitum) sed sola substantiæ corruptæ ablatione emendari potest.

97. Vapores autem salubres, corruptos exturbare non posse, puto extra controuersiam esse.

98. Est enim naturæ solius hoc munus & officium. Et tantum abest, vt pauci halitus naturam à morbo oppressam erigant, vt citius ipsi quoq; inficiantur vel certe dissoluantur, quod factu est facilimum.

99. Nec omittendum, quod ex sanis corporibus emanantes ἀπόῤῥοαι, non sic omnem corporum, quorum sunt effluuia, facultatem possident, quomodo putridæ ἀποκρίσεις totam putrefactæ substantiæ potentiam & proprietatem continenr, quippe hę seminis rationem habent, quod de illis dici nõ potest. Nihil enim possunt aliud quam tepide calefacere.

100. De rerum odoratarum exhalationibus, quas quidam obiiciunt, ferme statuendum idem.

101. Cum enim odor sit qualitas in certa mi-

stio-

ſtionis proprietate conſiſtens, extra proprium ſuum ſubiectum fingi non debet.

103. Quocirca non poterit odorata res per effluuium eundem ſuum odorem aliter miſto corpori ingenerare, niſi eadem illam miſtionis ſpeciem in ipſo gignat, quam ipſa antea ſortita fuit. Iam vero quæ eodem modo ſunt mixta, ſpecie non differunt, ſed conueniunt. Fieri enim nulla ratione poteſt, vt duæ materiæ ſimiliter temperatæ diſcrepantes participent formas. Generationem igitur præcedere oportet, vt idem odor in corpore alieno producatur. Generatio autem vt fiat, certo loco, materia determinata, & definito effectore opus eſt. Sic odor roſæ produci in re nulla alia poteſt, quam in planta roſas ferente.

104. Reſtant ſcabies & lepra, qui morbi per diſtans communicari non poſſunt, ſed ſolo contactu inficiunt, ſiue immediatus is fuerit, ſiue mediante relicto fomite.

105. Neque enim inficit ſcabies, quod pars ſit mobilis, aut omnino denudata, vt eſt oculus, neque quod ſpiritus vaporeſque putrefacientes ac fœtentes emittuntur, vt in phtiſi & peſte, ſed quia, quod defluit in ſcabie, humidum eſt, craſſum, viſcidum, pruriginoſum, nec cito euaporabile: vnde diutius adhæreſcens, ſibi ſimile in alio generare poteſt, pruritumque & ardorem excitare.

106. Ga-

106. Galen.2.de sympt. caus. 6. docet pruritus immediatam causam esse excreméta pituitosa, nitrosa, salsa, amara: idq; ostendit exemplo scyllæ, muriæ, vrticæ, quæ omnia faciunt pruritum: ponitq; eodem loco differentiam inter materiam simplicis pruritus, scabiei & lepræ: inquit enim, materiam pruritus esse succum tenuem, salsum & immotum, materiam vero scabiei & lepræ succũ multũ, salsum, crassum, immotum.

107. Cum enim scabies in extima superficie corporis hæreat, crassam saniem emittat, putredinemque habeat in crassis omnino ac viscidis humoribus radicatam, facile cutem integri corporis labefactare potest non per distantiam, sed vel contactu vel fomite.

108. Cur autem hydrops, epilepsia, aliæq; febres non communicentur, duæ causæ afferri possunt. 1. quod aut in superficie materia morbos illos faciens non cõsistat, aut certe si extimam superficiem occupet, huiusmodi tamẽ nõ est, vt aut euaporando ad distantia peruenire possit, aut crassitie & lentore suo diutius adhærere. Manifeste hoc explicat Alexander primo problemate 35. & secundo problemate 42. Cum dicit, Cæteri sane morbi, aut positi intus cutim attingere nequeunt, nullamque reddunt delibationem seu irrigationem, vt hydrops, epilepsia, aut cũ per summa corporis natẽt, nihil tamen humoris ob nimium suum lentorem,

torem,

torem, ſiccitatem & corpulentiam emittunt, aut poſiti quidem in partibus interioribus ſunt, ſed quoniam nihil peſtilens putrefaciensq; emittũt, ſuum aliorſum tranſmittere vitium non poſſunt, vt febres crebriores & ſolitæ. Hæc Alexander.

109. Si enim res putreſcens vel ſicca nimis ſit ac lentoris expers, vel humidior quam vt eius partes cohærere facile poſſint, vapores emittit innoxios, & qui facile à re qualibet alterantur.

110. Quod ſi res, è quibus exhalant, calorem vel nullum, vel non magnum & durabilem recipere natæ ſint, minus detrimenti adhuc apportant.

111. Vnde cum oſſa putreſcunt, cartilagines & ligamenta contagium aliis non communicant, propterea quod vapores ex iis pauci excitantur, & ſi excitentur, neque longius tamen efferuntur, neq; putrefactionem retinere diu & pertinaciter poſſunt.

112. Porro ex morbis neq; frigidi, neque humidi, neque ſicci contagio ſe promouere in alios poſſunt.

113. Illi propter contrarii reſiſtentiam. Nam corpora ſana valido ſuo calore frigidos halitus vel facile repellunt, vel priuſquã aliquid imprimãt, alterant. Hi propter impotentiam agendi.

114. Nam humiditas & ſiccitas qualitates ſunt admodum ignauæ, & cum caliditate frigiditateque

teq; comparatæ materiæ potius quam formæ rationem obtinent, id eſt, patiendi magis quam agendi principia exiſtunt.

115. Itaq; neq; frigidi & humidi, neque frigidi & ſicci morbi, ſiue cum, ſiue abſq; materia ſubſiſtere ponantur, contagioſi eſſe poſſunt, quantiſper nullum alium afflatum perſenſerint.

116. Quid igitur de calidis? Nec hi contagioſi ſunt, quandocunque vel citra putrefactionem, vel etiam caliditate ſimplici, vel cum humiditate aut ſiccitate iuncti lædunt, alterantue. Etſi enim primæ qualitates (præſertim vero caliditas & frigiditas) in res cunctas quomodolibet temperatas & mixtas ſe inſinuare, & in omnem mutabilis mundi materiam propagare habiles ſint, ad propinquantes tamen inſtar contagioſorum non arrepunt.

117. Rationem nullã afferri aliam video, quam quod eiuſmodi qualitates in rara & pauca exhalatione vires obtinent exiguas, leuiq; negotio ex alieno ſubiecto facile delentur. Quam enim facile & cito alieno calore, vt ſolis, igniſue calefacta, iterum frigeſcant, nemo ignorat.

118. At vero ſecundæ qualitates difficilius expunguntur, imo ſubiecto non tranſmutato nunquam extinguuntur, niſi forte non totius ſubiecti qualitates ſint, ſed in aliqua parte, à qua facile ſeparari poſſunt, inhæreant.

119. Videamus nunc porro contagii genera & diffe- *Contagii differentiæ.*

F

differentias, nam pro varietate agentis & materiæ, varia quoq; morborum contagiosorum genera producuntur, contagiumq; alias mitius, alias ferocius in aerẽ & animãtia furit ac grassatur.
120. Qui contagionis seminaria omnia morbificę exhalationis atque putridæ expirationis euaporationisque genere contineri volunt, & ex iis alios morbos magis aptos esse inficere, alios minus, pro triplici aptitudine & seminariorum mixtione atq; concursu, triplex quoq; tum contagionis, tum etiam morborum ex contagio ortorum genus constituunt.
121. Vnum genus est quod fit contactu, alterum quod etiam fomitem relinquit, tertium, quod ad distans quoq; perfertur. His respõdent contagiosorum morborum differentiæ totidem.
122. Diuersitatis huius ratio autem non à forma, maiori sc. minoriue putrefactione solum desumẽda est, sed à materia etiã & modo mixtionis.
123. Neq; enim simpliciter verum est, grauiorẽ & ex maiori putredine ortum esse id cõtagium, quod ad distans per aerem alteri communicatur, cum hoc possit quãdoq; ex subtiliori materia magisq; apta, ad distans per aerẽ ferri, vt in lippitudine, in qua insignis illa putredo non est, ad distans tamen maxime apta est inficere, & magis etiam quam contactu aut fomite.
124. Itaq; hoc modo hæc distinguenda sunt: quæ ad distans contagionem faciunt, ea &
con-

contactu & fomite inficere consueuerunt: quæ vero fomite contagiosa sunt, eadem immediato contactu afficiunt, ad distans tamen non omnia, at contactu cuncta.

125. Vnde simplicissima est, naturaq; prior ea contagio, quæ solo contactu inficit.

126. Diuersitatis huius causam referunt ad vaporum, exhalationum, eorporumq; putrescentium insignem putrilaginem.

127. Hier. Fracastorius nouus Leucippi & Democriti excitator, diuersitatis harum contagionum causas in corpuscula potius quam vapores transfert, lib.1.c.2.de contag. affertq; differentiam inter vapores & corpuscula illa, quod videlicet vapor sit corpus alterabile satis, mixtionem non habens fortem in lentore, nec sobolem sibi similem procreare valens, quæ ad alium delata contagium inducat, qualia esse dicit seminaria illa, quæ corpuscula vocat.

128. Hunc refutat Ludouicus Septalius in comment. ad probl.7. Arist. dicens, verum non esse, vapores reperiri nullos mixtionem in lentore fortem habentes, quique sobolem sibi similem generare possint, aut diutius perdurare. Varios enim reddi vapores, diuersamque naturam assumere pro variis, vnde eleuantur, subiectis, vel mediocriter rerum physicarũ peritus intelligit. Sunt enim alii lenti, diutius faciliusq; inhęrẽtes, alii humentiores, humectãtes quidẽ, sed sine

lentore aut tenacitate: & ea quæ intimiùs velociusq; penetrant, nullum in se lentorem habere oportet, lentor enim & tenacitas & ad longinqua progressionem & penetrationẽ impediunt. Vnde lentos esse & tenaces potius illos vapores esse oportet, qui per fomitem aliis communicãtur. Vt enim inhæreant, atq; diutius inhærentia perdurent, & ad alia communicari possint, lentorem exigunt.

129. Vapores vero similem sibi sobolem procreare posse, exemplo sunt odores, qui vel in exhalatione vel vapore consistunt, nam à corpore odorifero eleuati, rebusq; aliis communicari, & eodem res illas odore afficiunt, & apti sunt etiam corpora alia secundo odorata reddere.

130. Iam vlterius videamus, seminaria contagionis, qua ratione varia contagij genera producant.

131. Cum morbus aliquis contagiosus ex materia excitatur, in qua pars aquea prædominetur, & putredinem maxime subierit, vaporesque viscidi non sunt, sed ob exuperantem humiditatem fluidi, diutius inhærere non potest is morbus, sed contactu tamen inficere, id quod in fructibus euenire conspicimus.

132. Quod si portiones aeriæ multæ, cum terreis & igneis mediocribus, minimisq; aqueis excitentur ac euaporent, affectionem efficient multo efficaciorem, quæ perdurare diutius possit,

ſit, & in fomite relinqui per longum tempus, atq; ad longinquiora etiam propagari.
133. Cum enim fluidi non ſint vt priores, magis tamen tenues, non cõtactu ſolum afficiunt. ſed fomitem etiam relinquunt, quo veluti medio etiam alios inficiant affectione eadem, qua afficitur principium, vnde fluxerunt.
134. Quotieſcunq; enim ſeminaria hęc in vicinum contactumq; corpus incidunt, quod ſimile analogumq; ſit, ſtatim & contagionem inducunt imprimuntq;, & conſequenter contagioſos morbos: quoties enim analoga non ſunt, & quod tangitur, affici non eſt aptum, ad ſeminaria tamen excipienda, exceptaque diutius retinenda atq; conſeruanda non ineptum, tunc fomitis naturam induit, quo poſt multos etiam menſes & annos inficiunt.
135. Sic ipſe quandoque aer fomitis rationem ſubit, cum vapores putrilaginoſos, ſeminaria contagionis tanquam per medium alteri communicat, licet non ita manifeſtis ſignis ſe contagium exerat, quoniam vapores vel exhalatio, in fomite vel aere latent.
136. Quod ſi igneæ partes cum multis aereis in mixtionis per inſignem hãc putrefactionem diſſolutione præualuerint, aqueis alioquin & terreis minima quantitate vel prorſus nulla commixtis, vapores redduntur ſubtiliſſimi, quibus tertium illud contagionis genus excitatur,

cũ sc. tũ per contactũ imediatũ, tum per fomitẽ, tum ad distans similẽ principio affectionem generare possunt. Cum enim ij vapores sint subtilissimi, quoquouersum permeare atq; peruadere facile possunt, ibiq; etiam adhærere, vt fomitem de se relinquant: aeriis vero solis præualentib. si lentoris nonnihil obtinuerint, etsi tam valide penetrare nequeant, ad distans tamen aliquantisper ferri & inhærere poterunt, pro contagio inferendo.

136. De fomite vnum afferendum, quod præteritum non oportuit, non scilic. eum exurgere in momento, nec sufficere inducere affectum ab humore quieto, sed à moto. Nec moueri contagium potest ab innato calore, is enim emendat & castigat fomitis malitiam, nec ab extraneo comburente, hic namque fomitem dissipat, sed ab extraneo putrefaciente.

Ad contagium omne 4 requirũtur.

137. Sic igitur ex hactenus dictis patere arbitror quatuor præcipue ad contagium requiri, sed 4. esse contagionis potissimas causas, 1. astralis impressio, quæ infert contagium pestilens simplex. 2. putrefactio in aliquo humore vel materia, & hoc contagium materiale non inepte appellari posse puto. 3. lentor fomitis, lenta enim omnia hærent, nec integre dissoluuntur, vnde per moram imprimunt. 4. vt materia putrefacta in superficie consistat, cu-

taneisq;

taneiſq; locis adhæreat, vt in ſcabie vel in ſuperficie lucida, vt in lippitudine: tum etiam vt in loco ſit poſita, quæ euaporare, & ad longinqua mediante aere ferri poſſit. Vnde pro varietate putrefacientis materiæ varia quoque contagioſorum morborum genera producuntur.

138. Explorata nunc contagii natura, eſſentia differentiiſque definitio reſtat, quæ huic diſceptationi imponet Colophonem.

139. Licet enim ex hactenus allatis facile erui intelligiq; poſſit, nihilominus tamen ab autoribus, de genere, rationibus vltro citroq; pro & contra, vt dicitur, concertantibus, in dubium eam contortam eſſe video.

140. Bernhardus Paternus habilitate cõtagium definiendum potius putat, quam actu & contactu, quoniam contagioſus aliquis eſſe morbus poſſit, tametſi actu nulli communicetur: Sunt enim qui actu id definiendum eſſe putarunt.

141. Thomas Eraſtus contagium proprie ait ſumi de morborum putrida qualitate, qua commorantes vel vicina corpora contaminare ſint habiles & apti non tantum alterando, ſed etiam corrumpendo & perdendo.

142. Verum hac ratione & ſenſu contagium ſimplex, quod ſcilic. ex ſiderum permiſtione & impreſſione in aerem primum demittitur, excludetur.

143. Capiuaccius Medicus Patauinus vocat ſeminarium, quod vel in aere ſparſum volitat, vel veſtibus alijſq; rebus incluſum deliteſcit.
144. Lucas Stenglius Medicus Auguſtanus per affectum id præter naturam definire mauult quam putridam qualitatem. Sed huic repugnat, quod affectus prçter naturam latius patet quam putredo, quæ ſpecies quædam eſt affectus præter naturam, ideoq; naturam contagii non tam prope & vere exprimit, quā putrefactiua qualitas, quæ corporum mixtorum eſt, & corruptionis in his cauſa. In definitionibus autem rerum veris, genus proximum, ſi haberi poteſt, ſumendum.
145. Si igitur putredo eſt qualitas corporum mixtorum, quatenus mixta ſunt, & propterea qualitas ſecunda, in genere affectuum præter naturam recte collocatur, vt ſcil. ſpecies in ſuo genere.
146. Qui contagium per corruptionem definiunt, rectius putant ſentire, quam qui per contactum, quia ſine putredine, quæ corruptionis quædam exiſtit ſpecies, definiri nequit, cum ſine contactu proprie dicto contagium definiri debere, recte ſupra demonſtratum ſit.
147. Quis enim dixit vnquam, morbum, meis membris inhærentem, alienum corpus contigiſſe? Iam ſi morbos tangere corpora non poſſe planum eſt & in confeſſo, qua ratione morborum

rum

rum proprietates & qualitates contactu lædere existimabitur: ergo cum contagium sit aeris & certorum morborũ affectio & proprietas quædam, qua se possunt veluti multiplicando & propagandó ad alios proferre, perperam in definitione eius ponitur contactus.

148. Tunc enim locum habet tantum cum ponitur pro seminario, quod corpus est, quo modo contagium sumit Capiuaccius, & supra à nobis in secunda significatione fuit acceptum.

149. Itaq; non procedit argumentum. Contagium alteratione indiget. Alteratio autem fit contactu. Ergo & contagium contactu inducitur. Primum enim sola corpora se naturaliter contingunt.

Ergo morbi, horumq; proprietates improprie & perperam se tangi dicuntur. Deinde isto argumento nondum confectum est, contagium per contactum rei contagiosæ semper excitari. Haud enim recte concluseris. Contagium per contactum inducitur, quia sine alteratione non gignitur. Ergo per contactum rei contagiosæ semper suscitatur. Contactu generari contagium, negari non potest. At propterea non verum erit, per rei contagiosæ contactum semper generari. Quod experientia liquido probat, contra quam frustra omnia struuntur. Nam morbi contagiosi aliquando suscitantur à calore solis & astrorum, à laboribus, animi affecti-

 bus,

bus, contagio nullo antecedente. An non aeri quandoq; cõtagium imprimitur à ſiderum permiſtionibus, nullo alio contagio præcedente, quæ poſtea contagioſa aeris facultas cõtagioſos morbos procreat. An non à ſimplici aeris intemperie morbos contagioſos in corporibus diſpoſitis excitari, compertum eſt? Quamuis etiam non contagioſam aeris qualitatem contagioſum morbum excitare, & in corpore ſalubri contagioſum interdum vel nullum, vel non contagioſum morbum peperiſſe conſtet.

150. Diuerſitatis huius cauſa potiſſimum conſiſtit in eo, quod efficientes cauſæ non pro ſua natura ,ſed pro patientium varia diſpoſitione, effectus pariunt diſſimiles.

151 Ludouicus Septalius contagium definit tranſitum corruptionis cuiuſdam mixtorum ſecundum ſubſtantiam de vno in alterum, analogia quadam.

152. Corruptionis cuiuſdam eſſe tranſitum dixit,vt demonſtraret manifeſta actione id fieri nec ab occulto oriri.

153. Vult enim corruptionem illam fieri per calorem præter naturam calorem noſtrum&temperamentum diſſoluentem, quod in peſte eſt conſpicuum. Si enim contagione fiat propagatio,per tactiles qualitates, & maxime actiuas id fieri oportere aſſerit. Maiorem tamen actiuita-

tem

tem tribuit calori, qui, ſi externus ſit & humiditati iunctus, interno euaporante & diſſoluto, diſſolutionem parit mixtæ ſubſtantiæ, atq; per contactum poſtea alteri communicatur, in quo corrumpitur iterum temperatura humorũ per inſignem illam putrefactionem, contrariaque inducitur, qualis eſt illa, quæ in principali infecto reperitur, & illud eſt contagium.

154. Quod ſi vero occutrat corpori minime diſpoſito ad id recipiendum, ita vt corruptio illa ſequi non poſſit, corpus illud vices fomitis ſubire ait, putridoſque illos vapores retinere, vt aliis communicari poſſint.

155. Hac ratione aerem fomitis rationem ſubire ac ſuſtinere, vaporeſq; illos putrefacientes, contagionis ſemina tanquam per medium aliis communicare, recte affirmat, at contagium fieri ſemper manifeſta actione, perq; qualitates tactiles, nulla probabili ratione videtur ſtabiliri poſſe.

156. Quis enim ex omnium ætatum viris eruditis ignorat, peſtilens contagium ſępe citra graueolentem & putrefacientem conſtitutionem aeris, adeo obſcure & furtim inuadere, vt nullo ſenſu internoſci poſſit, vt nos prorſus effugiat, inopinatos proſternat, nec niſi effectu ac euentu ipſo deprehendatur.

157. Et certe eſt hoc imprimis mortalibus miſerabile, impendentem ſibi tantam calamita-

mita.

miratem nullo sensu euitare posse, ac præuidere.

158. Nulla putrida, nulla intemperata aeris constitutio existere tanta potest, vt in multas regiones mundi euagetur, inq; illis vigeat ac perduret. At pestilentiam tam immaniter interdum sæuire & sæuiisse etiam in vestibulo huius disputationis indicatum est, vt vniuersum pene orbem occuparit, frigidas atque calidas regiones, siccas & humidas, hieme ac æstate peruagata fuerit & depopulata.

159. Quapropter, cum contagii natura longe lateq; se expandat, nec fiat vno & eodem modo, causasq; habeat efficientes & materiales diuersas, talis definitio inuestiganda erit, quæ naturam & essentiam eius, plene, quoad fieri potest, exprimat.

Vera contagii definitio.

160. Est igitur contagium potentia seu qualitas, orta tum à maligna occultaq; impressione cœli, tum à terrenis inferioribusque expirationibus, tum à vehementi ac insolita temporum mutatione, prædita virtute, corpora, ad quæ arrepit, alterandi & corrumpendi, seq; ab vno in aliud propagandi. Hæc autem quãdoq; simplicia apparent & seorsim, plerumque vero permiscentur & coeunt, causis eorundem in eundem effectum conspirantibus, ac tum difficilis admodum est illorum distinctio. Licet enim variæ hæ sint & discretæ causæ, quoties tamen coniun-

gun-

guntur & confunduntur, generis quadam affinitate ſeſe iuuant, impetuſq; ſuos augent. Harum tamen vnica eſt vera peſtis efficiens, duæ præparatoriæ. Peſtilentia grauior ſemper euadit in regione putridis expirationibus ſcatente & infecta, quam in ſicca atq; pura: rurſum grauior æſtate quam hieme, & auſtrina tempeſtate quam Aquilonia, & inæquali intemperatoq; cœlo quam æquali & temperato. Et in ſumma grauior & pernitioſior eſt peſtilentia quæ Epidemiis aut endemiis conſtitutionibus permiſcetur, quam quæ pura conſiſtit ſolaq; ac ſimplex. Vnde graues, terrenæque expirationes peſtilentiam ſolę non inferunt, non parum tamen ad illam præparant excitantq;. Et hæc vna cauſarum eſt, cur peſtilentia non omnes regiones, nec omnes homines peræque afficiat atque lædat?

161. Definitio ergo propoſita exprimit genus, cauſas efficientes veras, materiales, ac differentias, continetq; omnia, quæ ad cōtagii naturam & eſſentiam intelligendam pertinere videntur,

162. Nec video, qua ratione in falſitatis ſuſpicionem trahi poſſit. Eſt enim ex hactenus collectis bracteis catenæ inſtar conglutinata.

163. Neque tamen adeo mihi ipſi de hac inuenta adblādiar, vt, ſi lapſus erroruè in illa à doctioribus deprehenſus fuerit, eum excuſaturus ſim aut defenſurus. Interim autem ab eius veritate

tan-

tantiſper me abduci non patiar, donec veriorem melioremq; quis protulerit.

Hucuſq; de contagio.

SEQVVNTVR QVÆSTIONES QVÆDAM GRAVES, VTILES, ſcituq; maxime vero graſſantis peſtis tempore, omnibus politioris literaturæ ſtudioſis, & hominibus, neceſſariæ, ab autore ſubiunctæ, & rationibus ventilatæ.

I. AN IN PESTE SEMPER SIT SECANDA VENA, *omnibus an aliquibus, & ſi quibuſdam, quantum & quo tempore?*

OPINIONIBVS omnia teneri, & deſperatam eſſe cognitioné certi, nemo ignorat, niſi mente ἄῤῥωςος. Itaque id ſequi ſemper præſtat, quodcunq; videtur vel veriſimile, vel ratio & experientia probant. De venę ſectione in peſte maxime inter ſe diſcrepátes ſunt opiniones, quas tamen, ſi ex anguſtis verborum ſeptis in latiores veluti cãpos deduxero, intelligi tãdé poſſe exiſtimo, vtra ſit firmior, & ab vtra ſtet veritas. Nec enim temere hic ſtatuédum quid, agitur ſiquidem de corio humano, ſed caute in tam pręcipiti & lubrica via incedédum, in qua permulta occurrent falſa, quæ veritatis pallio velata in deplorandos errores abducũt. Ipſa pro ſe veritas fortius cõſtantiuſq; pugnabit, nobiſq; tacentib. ipſa ſe defendet. De venæ ſectione in febri peſtifera, in diuerſas video Practicos abire ſenten-

ten-

tentias, ob eam forte causam, vt refert Georgius Agricola in libr. suo de peste, quoniam veteres Græci in curatione febris pestilentis, nec sectionis venæ, nec purgationis expresse meminerunt. Nam neq; Hippocrates in principio l. 2. de natura hum. neq; Galen. phlebotomiã aut purgationẽ inter pestis remedia percensuerunt. Sunt qui Rhasin præstãtiss. inter Arabes Medicũ, vtrunque quoq; remediũ silentio inuoluisse affirment. Vnde quia nihil certi apud veteres hac de re inuenitur proditum, non male fuit quæsitum, an in peste sit secanda vena? Quamuis psuasu difficile sit, viros tã graues hoc remediũ, quo in aliis febrib. feliciter ac familiariter vsi sunt, tanquã insalutare improbasse, potius crediderim, iccirco eos nihil de eo prodidisse, quod putarẽt, neminẽ fore, qui de eo dubitaret, vt qui pestilentes inter putridas etiã cõnumerarint, ideoq; similibus eas remediis fere curandas voluerint. Cum itaque quæritur, an in peste sit secanda vena, sciendũ ante omnia est, quid per pestẽ hic intelligatur? Galen. 3. de præsagio ex pulsib. c. 4. & comment. 3. sup. lib. 3. Epid. text. 57 expresse discernit inter pestẽ & febrẽ pestilentẽ, priuatim sic dictã, vt quæ absq; peste in quibusdam etiã procreetur, ex insigni sc. cacochymia, hoc est absque externa causa ex corruptis ac deprauatis, adque veneni naturam permutatis humoribus. In hac peste Galen. laudat medicos,

Pestis nomine quid intelligatur.

quod

quod sanguinem non miserint. Neq; enim constare vires possunt, vbi tanta prauorum succorum in corpore coaceruatio est. Cum vero in humoribus insigne vitium nullum deprehenditur, & nihilominus tamen ex aeris labe & corruptione oriatur pestilens malum plurimos inuadens ac iugulans, in quo quidem minus imbecilles sunt vires per initia accessionum, in quæstionem venit, quid ex veterum & recentiorum autoritate, hic quoad venæ sectionem. sit statuendum? De qua re, vt certi quid teneatur, æquiuocatio vocabuli pestis primum excutienda. Quidam confuse & impropriе pestem vocant quemlibet morbum exitiosum: alii vero morbum communem acutissimum, maximeque pernitiosum iis quos afflat. Eodem modo febris pestilens quandoq; illis idem significat, quod pestis proprie accepta, febrem sc. acutissimam, contagiosam, lethalemque, carbunculis & bubonibus insignitam.

Aliis vocabulum pestis aerium venenum, morbum ab eo illatum, nec non bubonem vel carbunculum morbi comitem vulgo denotat. Propriissime tamen pestis seu pestilentia est aura, afflatus, seu vapor venenatus in aere conceptus, ac volitans, animantium generi pernitiosissimus, pestilentis febris proxima & coniuncta causa. Huius enim semina cum spiritu pariter in pulmones hausta mox furtim & sine sensu

in cor penetrant. Hoc, si affectioni præparatum est, nec satis obsistere valet, labefactant, spiritusque ac humores inquinant. Inquinato corde vires omnes præcipueq; vitales infringuntur, spiritusq; squalere incipiunt. Hinc arteriarum pulsus imbecillior & exilior, simulq; frequentior & celerior, quo vno adesse febrem iudicatur Ephemeram illam, omnium pestilentium pernitiosissimam. Ea nec ardore mordax, nec siti vehemens est, vnde febricitantes vix se febrire credunt. Nec vrinis se prodit, sed vel animi deliquio, vel pulsu paruo ac presso, vel assidua vomitione, vigiliis, iactatione corporis, viriumque prostratione se manifestat, vnde etiam plerumque sine doloris sensu hominem inopinato rapit. Hęc est febris pestilentis simplicis vera descriptio. Si enim pestis corpus occuparit, quod iam Plethora, cacochymia vel obstructione laboret, febris pestilens simplex vix fiet, sed aliis implicabitur. Vnde ex hac morborum permistione mixta apparent signa, & amborum quasi mixta medendi ratio tenenda. At si purum corpus pestis inuadit, omnino ea simplex obtinget, quæ scil. tota à venenata qualitate impendet, & non nisi propria & specifica antidoto, totiusque substantiæ proprietate veneno aduersa excluditur. Siue enim huius causam, siue substantiam, siue signa, siue curandi rationem quis animaduertat, vbiq; vim abditiorē & occultiorē, quam

Febris pestilens simplex quid.

G est

est putredo, agnoscet, alias quidem manifestius, alias obscurius. Multos videas in pestilentia simplici, febri vel cõtinua, vel tertiana, vel quartana corripi, qui licet putridis & corruptis humoribus scateant, peste tamen non polluuntur: argumentum certe non sola putredine in hanc luem corpus disponi ac præparari. Patet igitur supra propositam quæstionem intelligendam esse de peste proprie dicta, eiusque sobole febri pestilenti. In hac sunt & fuerunt, qui semper à principio aperiri venam voluerunt, commoti hac ratione, quod in peste correptis omnes humores sint in putrefacto esse, non vnus tantum, vt in aliis febribus non contagiosis. Item, quod humores in corde vel propinquis cordi partibus putrescant, à quibus protinus & sine mora sunt euacuandi. Alii, & quidem non infimi subsellii Practici, nulli sanguinem mittendum suadent, cui non ad animi vsq; deliquium detraheretur. Extremis enim aiunt morbis extrema remedia conuenire. Hanc aũt tam copiosam vacuationem sequi vtplurimum corporis refrigerationem, sudorẽ, alui profluuiũ, venenumque hac ratione ex corpore, siue in corde, siue in proximis ei venis contineatur, simul totum educi. His succedunt alii, nunquam venam secandam esse tam mordicus statuentes, vt ex pumice aquam citius, quam ex illorum cerebro id excusseris. Rationes tamen illorum non sunt plane

Variæ opiniones de phlebotomia in peste refutantur.

de

de nihilo, quamuis quædam mereantur auram popularem. Non poteſt, inquiunt, cauſa mali, quæ in partibus vel venis cordi proximis continetur, per venam ſectam excludi, quapropter euacuantur boni ſucci vna cum ſpiritibus malis in corpore remanentib. Vnde neceſſario ſequitur, ægros naturali calore imminuto, viribuſque labefactatis, ac nectare cordis viuifico exhauſto, per venę ſectionẽ interire. Experientia quoque ſe didiciſſe aiunt, omnes propemodũ, quib. in peſte aliquando fuit aperta vena, interiiſſe, plures vero multo ex illis, qui ſanguinem non miſiſſent, euaſiſſe. Permiſceri quoq; porro dicunt, bonum ſanguinem in illa agitatione cum ſuccis putreſcentibus, & ſic venenatã qualitatẽ longius exporrigi. Etenim humores, qui forſan quieti in vno aliquo loco permanſuri, naturæq; robori & viribus facilius ceſſuri videri poterant, proximũ ſanguinẽ contaminare, longius ſe diffundere, certoq; cũ ægrotantis periculo ad cor pertrahi. Et imprimis à venæ ſectione nos deterrere debere inſignẽ virium imbecillitatem, qua præſente aut futura omnes præclari medici ſanguinem mittere prohibuerint. In febribus autem peſtilentialibus aut mox ab initio vires eſſe imbecilles, aut paulo poſt ſubito collapſuras. Quin & ipſum Galenum iubere in comment. 2. aph. vigeſimo nono, vt in exitialibus

morbis nihil moueamus, ſed vt finem tantum prædicamus. Patrocinari quoq; ſibi illud putant, quod Galenus in comm. 3. libr. Epidem. 3. declaratione 58 particul. ſcripſit, omnes in peſte illa magna, & fere ſolos ſuperſtites fuiſſe, qui ſeipſos ad comedendum coegiſſent. Ratio hæc eſt, quod peſtifera febris maxime corrumpit ſpiritus, quos, quia nouos & bonos ex probo & idoneo alimento generari ſubinde oportet, cum alimentum in corpore nullum ſupereſt, corrupto ſc. circa cordis regionem ſanguine, neceſſe eſt, vt ex ingeſto cibo talis procreetur. Conſtat namque febrem hanc vel ſolam, vel certe omnium maxime ex putrefacto & veneriato ſanguine venarum & cordis generari. Cum ergo æger ob hanc quoq; cauſam cogendus eſt ad ſumendum cibum, parum ſane rationi fuerit conſentaneum, ſpiritibus pabulum, id eſt, ſanguinem nondum infectum per venæ ſectionem detrahere. Vbi namq; de ſufficiendo bono ſanguine laborandum eſt, haud recte is qui adeſſe potuit, ſubtrahitur, proindeq; præſtare, vt partium nutrimentum & conuenientiſſimum ſpirituum pabulum in corpore cõſeruetur, & apta ſemper idoneaque pro eorundem generatione materia largiter & copioſe ſuppetat.

Refutatio primæ opinionis.

Qui primam opinionem tutantur, omnibus mihi modis peccare videntur. Neq; enim recte ab illis dicitur, tantum in corde vel vicinis cordi venis

venis contentum ſanguinem in peſte infici, nam ſæpe alibi vitiatur primum, indeq; ad cor arrepit lues, fitq; hoc alias ſenſim, alias breui quoq; tempore, cum videl. ſubito & inopinato metu animus percellitur. Quod ſi certo ſemper ſciri poſſet, in qua parte, & quando ſanguis exitiali iſta putredine corrumpi incepiſſet, atque ex eo poſſet loco vel totus, vel pars aliqua corrupti iam ſanguinis, priuſquam ad cor perduceretur, elici, dubium non eſſet, quin ſanguinis miſſione æger tunc percurari, aut certe iuuari plurimum poſſet. At vero vtplurimum non ante peſtis ſemina in aliquo eſſe deprehenduntur, quam febris actu ſentiatur. Sentitur autem citius, cum per terrorem ſpiritus ad cor reuocantur, & cum bonis vna corrupti eodem perducuntur. Contingit nonnunquam, vt, qui peſtilentis febris ſeminaria aliqua in ſe concepit, funeri obuius factus, ex metu non multo poſt in illam febrem inciderit. Et exempla extant plurimorum, in noſtra etiam peſte Marpurgenſi, qui omnes ſerius in febrem incidiſſent, ſi non per metum ſiue terrorē venenati ſpiritus ad cor ipſis eſſent attracti.

Qui ad animi deliquium vſque detrahere ſanguinem iubent, ij compendioſam quidem viam ad ſanitatem monſtrant. Vtinam vero æque facile perſuadere poſſent ac docere, tam eſſe eam tutam quam eſt breuis. Quis credet, per *Refutatio ſecundæ opinionis.*

largam iſtam euacuationem ſanguinis venenatum omne ex venis abſq; pernitie ægroti educi? ſi vel minima aliqua portio in venis remaneat, an non ea proſtratis iam viribus ſanguinem inficiet vniuerſum, ęgrumq; perdet? Non fuit hęc mens Hippocratis, cum extremis morbis extrema conuenire remedia ſcripſit. Plus præſidii apud Galenum 14 meth. c. 10. quo in loco copioſam iſtam ſanguinis miſſionem in peſtifero carbunculo approbaſſe cenſeri poteſt, habituri videbantur. Quamuis hic quoq; generalis regula perpetuo locum habet, ſi vires patiãtur, aliudq; nihil prohibeat. At mox collapſuræ vires prohibent in morbo tam exitioſo, vt cætera taceam, Et ex citato Galeni loco hoc potius colligitur, licere nonnunquã febre peſtilẽti laborantibus ſecare venã, non tamen ad animi vſq; defectum.

Refutatio tertiæ opinionis.

Maioribus viribus aduerſus eos procedẽdum videtur, qui nunquam recte in peſtiferis febribus ſanguinem mitti opinantur. Nam & autoritatib. ſubnixa, rationibuſq; apparet hęc opinio fulta, quibus tamen ad Medicæ rationis ac veritatis calculum reuocatis, apparebit, turbidam, ac limoſam eſſe ſcaturiginem, ex qua profluxerunt, hoc eſt, fundamentũ labile & infirmum. Autoritatem quod attinet, in procinctu eſt Galenus cap. 1. libr. de boni maliq; cibi ſuccis, nec non 14. meth. c. 10. Vtrobique enim oſtendit, ſanguinis ſe miſſionẽ probare, dummodo vires

non

non lædat. Et qui in librum Epidemior. Hippocratis commentarios Galeni attentius perlegerit plura inueniet testimonia. Oribasius libr. de cucurb. & scarificat. c. 20. scribit in hunc modum. Et sane dum pestilētia vehemens Asiam deprehendisset, multosque perdidisset, neque etiam morbus attigisset secundo morbi die, febre remittente, crus scarificaui, duasq; fere sanguinis libras detraxi, hacque ratione periculum euitaui. Plæriq; etiam alii hoc præsidio vsi, superstites euasere. Erāt enim plenitudinis signa, vnde illi præcipue saluabantur, qui copiosum sanguinem exhauriebant. Paulus Aeginetha l. 2. c. 36. & Aetius c. 94. ex Rufo, qui ætate Galenum antecessit, hæc habent verba: Quib. sanguis abundat plus æquo, vena secta detrahito, quæ verba vt & sequentia, manifesto probāt, veteres Græcos à sanguinis missione in peste nō abhorruisse, & Rufum de curatione egisse, nō preseruatione, q̃ Rhasis voluit. De Auicenna & Auerrhoe non est quod quisq̃ dubitet. Auicenna expresse ait, incoandum esse à venæ sectione vel pharmaco. Quod aūt Hippocrates venam non secuit 1. Epid. ratio est, quia ab initio non accesserat, virtus enim in peste statim cōcidit, vnde tertio die eger obiit. Quapropter autoritate veterū se tueri nō possunt, qui fere cūcti nobis fauent. Argumentū quoq; q̃ petūt ab experientia, parū illis roboris p̄stat. Nā experientiæ pōt experiētia

opponi. Adhuc ſuperſtites ſunt, qui ſuperiori anno, cum peſtis hic graſſaretur, crudeliterq; ſæuiret in obuios quoſq;, me iubente, venam feliciſucceſſu ſibi aperiri paſſi ſunt. Licet enim venenum per ſanguinis miſſionem non ſemper & ex toto auferatur, inducitur tamen per eam frigiditas & exiccatio, quibus veneni feruor hebetatur nonnihil, & obtunditur. Rareſit quoq; per eandem corpus, commodiuſq; perſpirant exhalantq; pernitioſi ſucci, iidemq; facilius vincuntur, concoquuntur, & diſſipantur. Quibus rebus cum in peſtilentis febris curatione maxime indigeamus, optima ſane ratione abundans ſanguis emittitur. Galenus quidem præcipit, vt deplorate ægrotantes, id eſt, perituros, ſiue peſte laborent, ſiue alio quouis morbo lethali premantur, ſinamus, at nullo in loco iuſſit peſte infectis nullam adhibere medicinam. Omnia ipſius monimenta contrarium demonſtrant, vt patet ex 9. de ſimpl. medicam. facult. 14. method. cap. 1. de cibis boni & mali ſucci, atque etiam ex libr. de atra bile. Nec tamen temere & ſine rationis iudicio vena ſecatur. Tunc enim ſolummodo tunditur, cum & vires conſtant, ſanguiſq; redundat, qui naturæ oneri magis eſt quã vſui, & præterea ſi æger venæ ſectioni aſſueuit. Ilico igitur, & mox à primo febris inſultu venæ ſectio adhibenda, conſtantibus ſc. adhuc viribus, tunc enim ſanguinis miſſio non incommoda-

Venæ ſectionis in peſte vtilitas.

Quando ſecãda vena in peſte, & quibus? Opinio 4 veritati maxime congrua.

modabit, nec vires proſternet, imo, vt vires ab exitioſo morbo minus lædantur, efficit. Quis igitur ſanguinem, qui naturæ luctanti & pugnanti contra exitialem morbum, eſt impedimenro, non detractum volet? quo certe detracto, alacrior & robuſtior efficitur venenoque totis reſiſtit viribus, altero onere leuata. Dum enim eam à duobus oppreſſam, hoſtibus ſuccumbere erat neceſſe, ſæpenumero contra omnium expectationem victrix euadit venenumq; profligat. Solis igitur illis, qui ſanguine abundant, venæ ſectioni ſunt aſſueti, quibuſq; conſuetus ſanguinis fluxus ex naribus, vtero, aut alia quadam parte cohibitus eſt ſanguinem detrahi iubent præſtantiſſimi omnes Medici antiqui & recentiores, Gtæci & Latini cum Arabibus plæriſq;. Ac nititur hæc opinio rationibus firmis, reiq; naturæ conſentaneis, tum quoque experiẽtiæ teſtimonio fultis, ſemper tamen diligentet conſideratis circumſtantiis, & vtrum quid impediat, vt nauſea, fluxus ventris, animi deliquium, & huius generis quædam alia, quæ ſanguinis miſſionem prohibere poſſunt. Itaque inſcite admodum & imprudenter faciunt, qui venam ſecant tunc, cum neceſſitas nulla flagitat, aut ſanguis nõ redundat, aut mature nõ adhibetur, aut reliquæ circumſtantiæ non permittunt. Econtra maiori reprehenſione digni ſunt, qui circumſtantiis nullis obſeruatis, ne-

cessitate flagitãte, à venę sectione, omnino abstinendum iubent. Fateor plus hic audaciam quã timiditatem nocuisse, quamuis neutra Medicum deceat. Hoc dicere non erubesco, esse & nouisse me non vulgares Medicos, qui ex mera timiditate venæ sectionem sæpe dissuaserint, sed in pernitiem ægrotantis. Cuius timiditatis causam aliam assignare non possum, quam inscitiam, quod sc. indicationes veræ mittendi sanguinis non satis illis sint cognitæ & exploratæ. Malo igitur peccare cum Medico audaci & sciente, quam timido & imperito. Præstat enim naturæ opitulari, tentareque aliquid, quam plane nihil, quo sæpe ægri pereunt. Porrò præter & supra modum sanguis euacuandus non est, est enim id exitiosum & periculosum. Ea quoque vena eligenda, per quam sanguis non in cor reducatur, sed ab eodem longius reuellatur. Itaq; si circa inguina tumores exoriuntur, poplitum siue crurum venas secamus aut certe applicamus ex Oribasii sententia cucurbitulas cum scarificatione ipsis cruribus. Si sub axillis tumor eruperit, sanguis mittendus è basilica eiusdem lateris est. Quod cum fit, non cordi venenum adducitur, sed ab eo potius reuellitur. Solent quoque diligentiores medici admouere ipsis tumoribus cucurbitulas, vel alia medicamenta potestatem attrahendi obtinentia, ne expulsus humor in venas regurgitet atq;

re-

recurrat. Forestus in obseruationibus suis de peste narrat, si 7 vel octo horæ præteriissent, venam non esse apertam, sed exhibitam theriacam cum aceto sambucino, quæ obseruatio rationem habet probabilem, nititurque experientia. Alii intra 24 horas venam secandam volunt, hoc est ante elapsum primum diem. Verum male faciunt qui huic termino non anteuertunt, siquidem vix elapsis senis vel 7 horis suspecta habetur virium constantia. Atq; hæc sunt, quæ non modo secandam in peste quandoque venam esse probant, verum etiam rationes tertiæ opinionis nostram sententiam non oppugnare, sed friuolas esse demonstrant.

2. *An in peste curatio semper à diaphoreticis & sudoriferis auspicanda? Negatur contra Neotericos quosdam & Empiricos.*

Sunt & inueniuntur hoc nostro æuo Medici non pauci, quibus nihil fere vsitatius quam statim initio, & à prima morbi inuasione ægris propinare sudorifera calida, imo, si hæc negligantur, non recte curari ægros posse sibi per-

persuaserunt. Forsan inde decepti, quod venenum se putant expellere, cum causam effectricem, id est, auram venenatam per sudorem excludunt, manente nihilominus venenata impressione, qualitate & pestilente seminario. Si in serosis tantum & tenuioribus sanguinis partibus venenum semper figeretur, sicut aliquando id consistere negari non potest, non male forsan sudorifera ab initio omnibus offerrentur. Iam in crassa sanguinis substãtia nõ in solo sero sæpe impressum est, quare sine fructu per sudores elicere id quis tentauerit, nisi prius sit extenuatum & ad expulsionem præparatum. Multo namque crassior est sanguis, longiusque qui in venis cordi propinquis cõtinetur, à cute distat, quam vt per eam excludi possit. Et certe persuasu difficile est, crassum & inquinatũ sanguinem per sudorem vi è venis expulsum, mox per cutis meatus excerni. Tenuiores aliquas partes serososq; succos hoc modo euacuari negari non potest.

Notab. At per horum excretionem mox à febris insultu tentatam, labes, quæ crasso sanguini impressa est, qnomodo tollatur, nullis mentis oculis quantumuis perspicacissimis apprehendi potest. Non enim in febribus pestiferis, vnus aliquis humor tãtum, vt in aliis vsuuenit, corrumpitur, sed sanguinis massa contaminatur. Quin crassi & inquinati sanguinis nihil aut parum ad-

modum

modum educi, probant accidentia, quæ fere omnia post sudorem fiunt deteriora atque vehementiora. Et nemo opinor, adeo est demens & rudis, qui virtute calidorum istorum medicamentorum prouocato sudore, ægros vehementer debilitari ac frangi, sanguinem agitari, inflari, intumescere, turbari, ebullire, spiritus vero impelli ac dissipari non animaduertat? Notum est robustos ac sanos, coactis & copiosioribus sudoribus mirifice debilitari. Quanto igitur periculosius est, ad 2 vel 3 horas ægro in morbo peracutissimo sudorem imperare? Spiritus enim affatim & copiose euacuari satis indicant prostratæ afflictæq; post largum sudorem vires. Et rationibus vlterius hoc probare superuacaneum est, satis enim per se liquet. Quod enim afferunt, pernitiosum humorem confestim, nulla alia occasione expectata, à corde auertẽdum esse, èq; corpore educendum, nobis non repugnat. Conatus & voluntas laudanda est. At verendum valde, vt natura possit crassum humorem in corporis habitum effundere, & deinde per cutim euacuare. *Obiectio.*

Si enim id potuisset præstare, non studuisset se ad glãdulas exonerare. Regio namq; amplior & commodior cutis est. Atqui deponere ad glandes incepit venenatum humorem, & naturam in peste plurimum id tentare, maxima correptorum pars testatur. Cur ergo hanc ipsius a-

ctionem interturbemus euacuatione diuersa? Adiuuanda enim potius natura est, vt quemadmodum cœpit, porro se exoneret, iuxta medicæ artis præscriptum, qua natura se exonerare tentat, (modo per conuenientẽ regionem id fiat) hac vacuandum. Secus si fiat, hoc consequemur vt per neutrum locum venenum extrudi possit. Non ad glandulas, quoniam ab hoc conatu auocatur. Neq; ad cutim, quia materia est crassior, quam vt hac expellatur. Itaque cum magno vitæ discrimine sudant, quibus sanguis bonus à malo non est secretus, tunc enim ex æquo bonum & malum vna cum spiritibus exhauriri necesse est. Non possunt corrupta per sudorem euacuari, nisi vtilia ab inutilibus sint secreta, vt illa quidem natura retineat, hæc vero expellat. Iccirco magis videtur factum & consilium illorum approbandum, qui à medicinis eiusmodi calidis pestis tempore abstinent, siue ægri sudent in principio, siue non. Certum enim est, sudorem sponte sub initium morbi prodeuntem diaphoreticum & symptomaticum esse, non laudabilem & criticum. Constat quoque in principio morbi sudantes non iuuari, sed plurimum debilitari. Sequitur enim is vel virium imbecillitatem, vel morbi violentiam, hoc est, naturæ coactæ non liberæ, actionem. Non enim, antequam bonum à malo est secretum, vacuationem molitur. Et

Symptomaticus sudor accidit violẽtia morbi, Criticus vi naturæ.

quæ

quæ crudo adhuc morbo exiſtente, vacuat, non libere, ſed coacte vacuat, quem naturæ motum Medici non temere ac ſemper imitari debent. Vere enim Galen. ait, ſudores in crudis morbis nec prodeſſe, nec boni ſigni habere ratione͂. Et quidem de illis ſudorib. loquitur, qui vi morbi, non epoto pharmaco eueniu͂t. Vnde & minus ſalutares eſſe poſſunt, quos calidu͂ pharmacum in exitiali ac crudo morbo violenter exprimit. Experientia teſtis eſt & ſalua conſcie͂tia atteſtari poſſum, plurimos in ſuperioris anni peſte hic Marpurgi graſſante, ſtatim ſub initiu͂ inuaſionis *Notab.* morbi pharmaco aſſumto, ad ſudandu͂ ſe pannis probe contexiſſe, ſeq; in extremu͂ vitæ diſcrime͂ induxiſſe, & in ipſo agone aſſumti medicamenti vim deploraſſe ac deteſtatos fuiſſe. Totum enim corpus incendio flagrabat, q̄ reſtingui no͂ poterat, in ſolidu͂ na͂q; corporis, ac carnoſum habitu͂ venenu͂ æſtua͂s vi calidi medicame͂ti diſpergebatur. Re co͂perta, inq; rumore͂ publicu͂ abeunte cautius poſtea peſte correpti medicari cœperu͂t, meq; ſuadente ac iubente à ſudoriferis calidis abſtinuerunt, æſtumque, qui ex illorum hauſtu magis magiſq; intendebatur, refrigerantibus temperarunt. Norunt omnes, & medici nomine indigni, qui vel ignorant, vel negant, per ſudores tenuia ſolum & aquoſa excrementa in corporis habitu collecta, excerni vna

cum

cum ſpiritibus, dum adhuc crudus eſt morbus.

Vnde Galenus in 3.aphor.15.recte aſſerit, euacuationem per balnea factam prauam eſſe, ſolamque fere cutim euacuare ac expurgare, per carnes & ſolidas partes diſperſa excrementa nequaquam educere ob hanc videl. cauſam, quod craſſiora exiſtãt quam ſudorum materia. Quod ſi ſpiritus euacuantur per ſudores, quorum euacuationem neceſſaria & repentina ſequitur virium deiectio, ipſo nihilominus malo remanẽte, non video, qua vel conſcientia vel ratione, ægro ſudor ſub morbi initium ſit imperandus? Concludo ergo, ſudorem coactum, & virtute calidorum medicamẽtorum prouocatum non ſine magno periculo in peſtilentiali iſto & exitiali morbo imperari, vt qui corpus repente exoluat, vireſque omnes proſternat, atq; deiiciat.

3. An theriaca vinumq; viperinum ſint peſte correptis exhibenda? Eiuſdem fere argumenti hæc quæſtio eſt cum præcedente, quare non inconcinne ei aſſuitur. De theriaca, mitridato, electuario de ouo & ſimilibus antidotis calidis, quæritur an in peſte cõducant, & quando, quomodo item, & quantum? In præſeruatione dictas antidotos ſalutares eſſe, vtileſq; extra controuerſiam eſt. Et cum experientia hic conſentit ratio, acceditq; ſummus præſtantiſſimorum medicorum conſenſus. Theriacam tutos redde-

dere

dere ab aeris noxa, ipse quoque Andromachus confessus est. Galenus 1. cap. vtriusq; libri de antidotis, theriacam in vna tantum re, videl. viperarum morsu Mithridato præfert, in cæteris omnibus hoc illi non cedere imo præstantius in plærisq; venenis aliis esse affirmat. Autor libri ad Pisonem instar ignis purgatorii cuiusdam esse theriacam scribit, corporum enim nostrorum vitia expurgare, putrilaginem futuram arcere, præsentem amouere & emendare, videl. exiccando, absumendoq; redundantes humores, attenuando crassos, calefaciendo frigidos, concoquendo crudos, ac dissipando noxios. Quę cum perficiat in sanis caliditate non noxia, merito commendatur vsus ipsius si iuxta medicorum præcepta sumatur. Vnde & Auicenna theriacam corroborare cor, natiuumq; calorem conseruare dixit, contra quem tribus rationibus disputando procedit Auerrhoes, quibus probat, theriacam sanis in præseruatione non conuenire. 1. Per theriacam homines à veneno nihil patiuntúr, vnde videntur similes fieri veneno ipsi: Si ergo theriaca facit homines similes veneno, nullo pacto videtur cõuenire corporibus sanis. 2. Theriaca attrahit venenum, omnis autem attractio fit per similitudinem, theriaca ergo veneno est similis, & iccirro sanis non competit. 3. theriaca potentissima est & maximæ actiuitatis: idque exinde patet, quia venena debellat ac

Auerrhoes contra Auicennam de theriaca.

minuit, ergo ſanis corporibus non conuenit. Hæ ſunt rationes Auerrhois. Verum ex altera parte ſunt autoritates Galeni, Auicennæ & aliorum, & conſtat M. Antonium Mithridatem, Neronem & alios in frequenti habuiſſe vſu theriacam ſine vllo detrimento, & quotidiana experimenta oſtendunt, eam à ſanis corporibus innoxie vſurpari. Pro ſolutione autem tria ſunt conſtituenda. Vnum eſt, corpora ſana alia vel eſſe ſimpliciter talia, alia ſecundum quid: quemadmodum luculenter id docet Galenus in arte Medica. Alterum eſt, theriacã corporibus ſanis exhiberi poſſe propter duas cauſas, vel vt ſanitas cõſeruetur, vel vt corpora ſana pręſeruẽtur à grauioribus malis. Tertium eſt, vſum theriacæ variari poſſe, vel ſecundum ſui ætatem, vel ſecundũ menſurã, qua ſumitur. His ita ſuppoſitis, tenendũ eſt, theriacam recentẽ corporibus ſanis non cõuenire, quia in theriaca recenti ſunt multa medicamẽta venenata, quæ cũ nõdum ſint correcta atq; caſtigata fermentatione, verẽdum eſt, ne offendant, & hinc eſt, quod in theriaca recenti opium ſolet afferre non leuia detrimẽta. Sed fermentata conuenit corporib. tũ ſimpliciter ſanis, tum etiã ſanis ſecundum quid. Conuenit prioribus, vt cõſeruetur ſanitas, ſcribit enim Auicenna, corroborare & viuificare calorẽ natiuũ, à quo poſtmodũ conſeruatur ſanitas. Conuenit poſterioribus, vt pręſeruentur à grauiorib.

Rationes Auerrhois dicuntur.

ma-

malis, quoniam proprietatẽ quandam imprimit corporib. humanis, per quã facile resistant omnibus iniuriis. Differentia tamẽ hæc obseruanda, quia vbi tantũ cõseruanda sanitas est, theriacæ dosis debet esse minor, vbi vero præseruanda sunt corpora à grauiorib. malis, tunc in maiori copia est offerẽda, atq; etiã frequentius. Ex his facile est iudicare atq; perspicere, rationes Auerrhois exigui esse momẽti. Neq; enim verum est, vsu theriacæ corpora reddi venenata, quin potius illud verũ censendũ, corpora acquirere quandã proprietatẽ vel potius cõtrarietatẽ aduersus venena, qua facile hæc possint superare. Deinde theriaca attrahit venena non similitudine substantiæ, omniũq; qualitatum, sed similitudine occulta, quemadmodũ videmus Magnetem attrahere ferrum, & tamen in multis huic esse dissimilẽ: haud secus theriaca venena attrahit, & tamen his in pluribus est dissimilis. Tertio negari quidem non potest, theriacam esse magnæ actiuitatis, sed propterea tamen corporib. sanis nocere non est concludendum, sed illis, qui vires habent deiectas atq; imbecilles. Hinc Galen. l. de theriaca ad Pis. atq; 8. meth. eam damnat, tum in corporibus calidis & siccis, eo quod in his facile ex eius vsu oriantur febres, tum etiam & maxime in pueris, qui ob virium infirmitatem magnitudinẽ actionis illius sustinere nõ possunt, calefacit enim vehementer &

ἐκλεκτῶς. Duo hic occurrunt dubia difficilia ad-
Obiect. modum & grauia: 1. quod Auicenna concludit
si similia non fiunt veneno corpora vsu theria-
cæ, fieri saltem similia alexiteriis, & propterea
media esse inter alexiteria & venena. 2. quod
scribit Galenus, alexiteria omnia esse media in-
ter corpora & venena.

℞. ad 1. Non valet, quod infertur ab Aui-
cenna, si non fiunt corpora similia veneno vsu
theriacæ, fieri saltem similia alexeteriis, & pro-
pterea media esse inter alexeteria, & venena,
quia fiunt quidem similia alexeteriis, sed secun-
dum hanc tantum rationem, vt venenis aduer-
sentur atque resistant. Ad locum Galeni diffici-
lior responsio est. Hier. Mercurialis li. 1. de mor-
bis venen. duplicem affert responsionem. V-
nam de duplici medio, secundum compositio-
nem seu mistionem, & secundum operationem.
Medium secũdum mistionem appellatur illud,
quod ab extremis est conflatum, medium vero
secũdum operationẽ, ꝙ facit operationes extre-
mis partim similes, partim dissimiles. Iã alexite-
ria nõ dicuntur à Galeno media secũdũ mixtio-
nem, sed duntaxat secundum operationem,
quoniam habent ex parte operationes similes
corporibus sanis & naturalibus, aliqua vero ex
parte similes venenis, quod innuere voluit Ga-
lenus 5 de simpl. med. facult. c. 18. cum dicit, ean-
dem esse proportionẽ inter corpora & alexiteria,
quæ

quæ eſt inter venena & alexiteria, & è conuerſo. Altera reſponſio eſt, ſententiam Galeni, alexiteria ſc. media eſſe inter corpora & venena, veram quidem eſſe de multis, ſed non de omnibus, cui ſententiæ patrocinari videtur Auicen. 6. quarti, tract. 3. c. 1. vbi duo ſcribit animaduerſione digna. Vnum, accidere aliquibus alexiteriis, vt ſint media inter corpora & venena: alterum eſt, huiuſmodi opinionem eſſe cum ſapientibus diſputandam, propterea quod ex toto ad Philoſophicæ rationis calculũ non ſit examinata. Ex quibus Auicennæ verbis facile quis intellexerit, verum non eſſe, omnia alexiteria media eſſe inter venena & corpora, & ſi diligentius verba Galeni penſitentur, manifeſtum euadet, eum illo in loco non de omnibus alexiteriis, ſed de iis tantum loqui, quæ venena ipſa alterant, obtundunt ac corrumpunt, immo non ſimpliciter, ſed omnia hæc fere eſſe media ſcribit, nocere autem tunc, cum in magna doſi aſſumuntur.

Hæc de theriacæ vſu in præſeruatione dixiſſe ſufficiat, videamus nunc de vino viperino, in quo ſc. extinctæ ſunt viperæ, an ſanis corporib. conueniat? Nicolaus Florentinus 1. de venenis, ſecutus Rabbi Moyſen & alios, ſcribit, vinum in quo extinctæ ſint viperæ, frequenter potum, plurimum conducere ad præſeruandum à venenis. Confirmat hanc ſententiam Galenus *De vino viperino.*

ſect. 6. Epidem. 6. text. 5. vbi vinum viperinum multum valere aduerſus venena docet, id quod de carnibus quoq; viperarum conſtat, vt ita hac ratione probari poſſit, ſanis etiam id corporibus conuenire. Sed Dioſcorides & alii præcipiunt, vt vaſa vinaria diligenter cuſtodiantur ab ipſis viperis & ſerpentibus, ne vinum veneneut, & conſequenter corpora. Cumq; vinum ſit vehiculum medicamentorum, etiam hic fiet vehiculum veneni viperini, ad maiorem pernitiem & celeriorem interitum. Hoc igitur in caſu diligenter obſeruandum, vinum viperinum an caſu fiat, an vero arte. Si fiat caſu, non conuenier, quia extinguuntur in ipſo totæ viperæ, caudaq; & caput miſcentur, neq; fit fermentatio, vnde vinum illud venenatum potius redditur quam ſalutare. Si fiat arte, tunc amputatis amputandis, facta debita mixtione & fermentatione, ſanis corporibus vtiliter exhiberi poteſt, quod etiam innuit Nicolaus. Ex quibus hoc quoq; colligitur, alexiteria, cum ſanis corporibus offerenda ſunt, ſemper minori doſi eſſe offerenda, quam cum dantur vel iam venenatis, vel illis, quæ morbis ſunt obnoxia, & in venenatas actiones vergunt. Tempus, quo ſanis alexiteria exhibentur, optimum eſt poſt conſummatam coctionem. Sic enim Rabbi Moſes 22. aphor. loquens de ſmaragdo inquit, eam ſanis corporibus exhibendam quo tempo-

Tempus aſſumendorum alexiteriorum.

re

re vētriculus eſt vacuus,& iam conſummata eſt omnis concoctio. Conſentit Galenus l. de ther. ad Piſon. c. 17. vbi præcipit, vt theriaca ſumatur poſt celebratam ex toto ciborū coctionē, ratio eſt, quia ſi antidoti ſumerentur,cum cibus eſt in ventriculo,proculdubio aut is corrumperetur aut ipſorum virtus à cibis hebetaretur. Iam ad curationem, an ſc.febri correptis ad ciendū ſudores exhibenda ſit? Hic, non quid vnuſquiſq; affirmet,cum non conſentit ratio, ſed quid verum ſit,ex ipſa re propoſita inueſtigandum eſſe, plane ſtatuo. Si enim vllo in morbo periculum affert error,certe in febri peſtilenti affert, morbo ſc.periculoſiſſimo. Quapropter etiam minus hic quā alibi,vbi leue peccatum ſine pernitie aut incommodo ægri cōmittitur, errare expediet. Præcedente quæſtione rationibus non fallacibus demonſtratū eſt,periculoſum eſſe,ſudorē ab initio calidis medicamentis prouocare. Theriacam antem,mithridatum, & ſimilia magnæ eſſe actiuitatis,vehementer calefacere, caloremq; cordis ϕελικὸν facere ἐκθικὸν,& hoc maxime,quia ad venenum debellandum, perque ſudores exturbandum in magna doſi, & bis in die offerenda ſunt, nemo eſt opinor, qui ignoret. Hinc Auicenna in præſeruatione tantum probat antidotos magnas, in curatione vero proponit refrigerantia.Et ex veteribus neminem calidis eiuſmodi antidotis vſum eſſe legimus

Theriaca an conueniat in curatione febris peſtilentis.

mus in febris pestiferæ curatione. Quamuis enim Paulus Aeginetha & Aetius theriacam ex Galeno in profliganda peste vtilem esse scribãt, neuter tamen in curatione eam adhibuisse deprehendi potest. Nam Paulus post traditam descriptamq; curationem tãtum addit, Galenum ipsam commendasse. Aetius vero, vbi febris pestilentis curationem docet theriacæ & similium medicaminum calidorum mentionem non facit, sed tale quid refert ex Galeno. Sed nec Oribasius, qui hos longo tempore antecessit, ac sub Iuliano claruit, de pestis curatione disserẽs, theriacæ mentionem facit vllam. Et licet Auicenna libr. de vitandis incommodis in regimine sanitatis euenientibus, exhibitionem ipsius videatur approbare, in canone tamen suo, vbi ex professo & cum ratione tractat omnia, longe sentit aliter. Actuarius Hippocrati attributam antidotum describit, eaq; ipsum in peste Athenas depopulante vsum narrat, & corona ob eam rem ab Atheniensibus donatum ait, quæ ipsa quoque admodum calida extiterit. Sed an in curatione ea fuerit vsus, adhuc ambigitur. Et fabula esse putatur, quod scribit, Hippocratem eius esse autorem, & in peste Athenis sæuiente curanda hac fuisse vsum. Mirum namque foret, si præter Actuarium scriptorem recentem, nullus Græcorum aut Arabum de prædicta antidoto aliquid cognouerit. Qui composuit, Hippocra-

tis

tis nomen ei præfixiſſe creditur, vt commendabiliorem redderet. Recentiores & ſaniores Medici omnes in febri peſtilenti à calidis ſudoriferis, vt theriaca & ſimilibus abſtinere iubent, vel, ſi quando neceſſitas vſum harum antidotorum poſtulare videretur, in quantitate exigua exhibent, cum liquore refrigerante & conueniente, vel aliis contemperant, non ad ſudorem mouendum, ſed ad hebetandam extinguendamq; veneni malignitatem, & quidem poſt venæ ſectionem, ſi ea opus eſt. Frigidis itaq; modice aſtringentibus exiccantibus, poteſtateq; occulta venenis reſiſtentibus medicamentis ægro ſuccurrendum, omnibus modis vires conſeruandæ, ipſumq; cor roborandum, quod certe, calidis iſtis medicamentis violenter ſudorem excludentibus, qui euenire affirmat, boni is Medici titulum non meretur, ſed pro perfido merito empirico habendus. Non dubitarim admodum, vel inficias iuerim, quoſdam peſte apprehendi, ſanguinem habentes aquoſum & tenuem. Apparet hoc in certis hominibus, quib. ſanguis è vena detractus ita aquoſus cernitur, vt fibræ in eo nullæ conſpicuæ ſint, ſed in aqua rubra ſolummodo telis aranearum ſimile quippiam innatare videatur. Accidit hoc fere poſt diuturnas pluuias, largam potationem ſolidioriſq; cibi paucam aſſumtionem, præſertim vero ſi per hiemem fiat, & ea exacta ſanguis poſtea

mittatur. Potuit igitur ſudorificum pharmacum tali propinatum aliquando profuiſſe, non quia illo tempore conueniret morbo per ſe, ſed quia accidit illi homini habere tunc ſanguinem aptum diſpoſitumque, qui in vapores & halitus permutetur, & per ſudorem euacuetur. Sunt quoq; aliqui, qui meatus forte habẽt tam patentes, vt craſſior quoq, ſanguis reſolutus per eos penetrare poſſit. Et ſunt quidam alii ita à natura comparati ac facti, vt ab omnib. fere morbis ſolo ſudore liberentur. Quod ſi igitur quis in hominem inciderit, qui vel hæc omnia, vel ex his habeat aliqua, ei certe pharmacum ſudorificum non male fuerit propinatum, aliis pene omnibus exiſtens noxium. Vnde plures ab eo lædi quam iuuari omnino neceſſe eſt, ſi ita promiſcue & cæco iudicio cuilibet offeratur. Quod autem obiicitur, cap. 16. libr. de theriaca ad Piſon. ſcriptum eſſe, theriacam etiam peſte correptis mederi, noſtram ſententiam non impugnat. Primum enim liber ille non eſt Galeni, vt patet ex Epiſtola Iulii Alexandrini, quæ extat inter Epiſtolas Andreæ Matthioli. Deinde locus ille dextre interpretandus eſt. Si theriaca exhibeatur ante febrem peſtilentem, efficit, vt vel homo non corripiatur, vel correptus, ſymptomatibus, quę alias ægrum miſeris modis ſolent diuexare, non ita inquietetur atq; lædatur. Adde, quod probatur theriaca in

Obiect.

peſte

peste actu existente, sed sine febre. Cum enim febris adest notabilis, non exhibenda huius generis calida medicaměta, præstantissimi medici & Practici statuunt omnes, propterea quod in pestilentialib. febribus interiora æstuent ac vrantur, postq; horũ sumtioně de præcordiorum & pectoris intolerabili ardore & inflammatione ægros cóquestos esse, animaduersum sit & obseruatũ. In sudore Anglico, hoc est, febre sudorifica, qua correpti perpetuo sudore diffluebant, quæ anno 1525 Britanniam, Belgium, omnemq; inferiorem Germaniam, vsq; in annũ 1530, peruagata est, profuisse calida alexipharmaca quidã experti sunt, vnde mox etiam in quauis alia peste vtilia fore existimarunt. Sed vehementer decepti sunt, cum febris illa Anglicana tenuẽ, aeriã, & spirituosam magis quã crassam sanguinis substantiã vel partẽ occuparit. Et Galenũ deniq; quod attinet, nunquã ipsum tã calida medicaměta pestilěter febriětib. exhibuisse, aut exhibenda cẽsuisse, vel inde liquet maxime, quod terrã Armeniã, nullius caloris participem offerre nõ ausus fuit in vino, nisi tenui & diluto, quãuis vinũ hic maxime vtile esse cognosceret, quoniã bolum aridum & crassum ocius atq; facilius ad cor deduceret. Posteriores Medici eam cum aceto & aqua rosacea miscuerũt felici successu. Terrã sigillatã cum cõueniente & apto liquore propinatam insigniter multis profuisse *9. de simpl. medic. fac.*
pestis

pestis nostræ Marpurgensis decursu animaduerti, aquam quoque vel acetum destillatum ex nucibus viridibus immaturis, solano, verbena, radice tormentillæ, serpentariæ, veronica mare, limonibus, citriis, arantiis, & similibus, quæ refrigerant, exiccant, modiceq; astringunt, cor roborant, calidiq; natiui dissolutioné impediunt, quod imprimis hic & ante cuncta alia tentandum. Corde roborato, quod cognoscitur, cum circa cor ægrotus melius habere sentit, febreq; intepescente, sudorificæ potiones commode exhiberi possunt, iisq; theriaca, similiaq; alexipharmaca in debita quantitate permisceri, vel mox ab insultu, vel etiam & maxime ante febris insultum, non quidem omnibus, sed quibusdam, quibus sc. præseruare à peste corpus, vel noxium venenatumq; aerem, quem forte apud ægrotos hauserunt inspiraruntque, expellere intentio est, tunc enim sanguine nondum per omnia infecto, aere scil. venenato inspirato olei instar eidem supernatante, vel visceris alicuius superficiem tantum occupante, extimasq; partes, febreq; nõdum excitata, sudorificis istis medicinis vtilius nihil excogitari posse omnino iudicandum est. Tunc enim venenata qualitas in aeria & halituosa substantia hærens non multo labore per sudorem vacuatur, cum sc. venenum seu venenata qualitas substantiam sanguinis vel visceris alicuius nondum alte compre-

Theriaca, & similia alexipharmaca, quãdo & quibus exhibenda? Vera assertio.

pre-

prehendit. Cum vero febris inualuit, æstuſque ac flamma in præcordiis percipitur, non prodeſſe, ſed obeſſe multis certiſſimis documentis habetur patefactum. Ac parum hic curandum, quod quidam audaces barbatique magis quam cordati Empirici iactitant de experientia ſua. Viri graues & eruditi, qui merito talia de ſe prædicare poſſent, non plura aſſerunt, quam ratio dictitat eſſe vera. Concedo, quoſdam, qui ea vſurparunt, medicamentiſq; calidis ſudorem potenter prouocarunt, mortem vitaſſe, iiſque eſſe adiutos. Sed an recte ſtatim hinc concludetur, vtilia ſemper eiuſmodi eſſe medicamenta? Variis caſibus quoſdam à difficilibus morbis liberatos legimus. Veriſſime enim Hippocrates, in medendo ſæpe concurrere ſpem, fiduciam & τύχην, prodidit. Et in quo medicamento aut medico confidit ægrotus, ab eo ſanatur facilius & citius, vt etiã optimũ ab alieno datũ in peius proficiat. Nullus igitur Medicus, modo non ſit amens, ægros ſuæ fidei commiſſos ita curare attentabit, vt illi ſunt ſanati. Per accidens innumeri euadunt cum ex hoc, tum ex aliis morbis. ſi alios eodem quis modo percurare velit, homicida rectius quam medicus audiet. Galenus in opere, quod de ſimpl. medic. facultatibus ſcripſit, fuſe docet, quomodo experientia medicamentorum vires demonſtret aperiatque, ac quomodo, quod per accidens euenit, Notab.

ſit

sit distinguendum ab eo, quod per se fit. Sicut enim remedium nullum semper iuuat, ita nullum ex æquo semper omnes perdit. Aliqui semper licet ex accidenti id contingat, euadunt. Ac si empirici isti percensere nomina eorum, quibus nocuerunt, tam expedite possent & vellent, quã paucos quosdam, quos sua potius spes & τύχη, vt loquitur Hipp. quã horum medicorum peritia ac virtus, ex periculo eripuit, in ore semper habent, identidemq; numerant ac prædicant, proculdubio pro restituto vno perditos atq; occisos decem vigintiue numerare cogerentur. In peste facilior est excusatio quam in aliis morbis cõpluribus. Nã qui pereunt, sæuitia morbi interiisse putantur. Qui aduersante morbo, Medico & medicina, vix ac difficulter euaserunt, à medicis seruati stulte aliquando putantur. Itaq; prudens & peritus Medicus, quid rationi & naturæ consentaneum sit, diligenter examinat. Non igitur pestilenti febre conflictatis Galenũ calidissima sudorifera præscripsisse, probabile est, cum terram Armeniam non auderet nisi vino valde diluto, febricitantib. exhibere, & in genuinis ipsius operibus de eo nihil certi posse reperiri constat, præter ea, quæ de theriaca ad Pisonem & Pamphilianum leguntur, quem librum Galeni non esse supra demonstratum est. Et ipse autor libri istius non exhibet theriacam, vt malam sanguinis qualitatem per sudorem

huius

huius vi euacuet, ſed vt eam ex inimica efficiat amicam, vt ex ipſis verbis patet, χρηστὸν γὰρ ἀποραίνει τὸ αἷμα αὐτοῖς, οὐ τὴν φερομένην ἐν αὐτῷ φαυλότητα ἀποκρίνουσα, ἀλλ' ἐξοικειοῦσα τὴν ἀτοπίαν, καὶ κρατοῦσα τῆς παρὰ φύσιν ποιότητος. Eiuſmodi igitur ſudorifera exhibenda, vt paucis tandem hanc quæſtionem concludam, quæ nec vehementer calefaciant, nec vires ſubito proſternant, quorum ſupra quædam ſunt enumerata, quibus aliqui addunt ſuccum Galegæ & Calendulæ. Nam Fallopius affirmat, Galegæ ſuccum materiam venenatam ad glandulas trudere, & nullum poſſe eo certius, aptius & præſentius tunc offerri, cum eodem natura venenum tranſmittere cœpit. Calendulæ ſuccum vel decoctum idem præſtare experimento didici, non tantum ſudorem ciendo, ſed circa vteros etiam muliebres hærentia excrementa feliciſſime expurgando, quæ certe remedia magis ſemper laudanda ſunt, præſertim cum ſanguis vitiatus & corruptus totus ad glandulas non eſt detruſus, ſed in vicinis partibus & locis detinetur, tunc enim vtiliter per ſudorem euacuari habetur compertum. Aliæ porro calendulæ virtutes alio loco decantabuntur.

4. An

4. *An ſanguinis miſsio antidotis per ſudorem venenum vacuantibus, ſit præmittenda, an vero hæc illam præcedere conueniat?*

Ordinis rationem in peſte quoad remediorum vſurpationem apud pleroſq; Practicos eſſe diuerſam, nemo ignorat, niſi rei medicæ plane ignarus. Quidam enim, vbi ſuſpicio de peſte eſt, protinus exhibent per ſudorem liberantia medicamenta, deinde ſecant venam, poſtea purgant. Quidam ſtatim poſt venæ ſectionem, altero die purgationem exhibent, & tandem ſudorifera. Verum cautius faciunt & rectius, monente etiam Cornario & Foreſto, qui venenato ſucco vniuerſo intra venas adhuc cohibito & detento, ſanguinem ab initio mittunt, præſertim cum ex aeris intemperie peſtis orta eſt. Mox, quæ corroborant, vires reficiunt, venenoq; ſunt antipathetica offerenda. Sic enim natura, vitioſo humore expulſo, ab antidoto adiuta, reliquum facilius diſcutiet. Qui per ſudorem primo vacuare conantur, nec educere venenum totum poſſunt, poſtea vero ſanguinem mittunt, is corrupta excrementa, quæ ad cutim extruſerat, in venas retrahit, vt ita magno in periculo verſari tunc ægrum neceſſe ſit. Adde, ſi venę multo ſanguine repletæ diſtētæq; apparent, iſque medicamento calido ſudorem pro-

proliciente magis ebulliat, tunc aut non bene continebunt ſanguinem venæ, aut malignitas certe ardorq; augebitur. In iſta enim commotione & agitatione ſanguinis ſpiritus vaporeſq; corrupti penitius permiſcentur, ſanguinemq; inficient vndiq;. Quin etiam debilitatę à ſudore vires poſtmodum difficilius venæ ſectionem admittent. Proinde pletora præſente, ſanguineq; abundante is auferendus prius eſt, deinde antidotus offerenda. Si per ſudorem ab initio humor venenatus vniuerſus vacuari poſſet, non certe valde opus eſſet venæ ſectione. Sed raro imo vix totũ euacuari ſat multis experimẽtis patefactũ habetur. Quare ſudorificorum medicamentorum vſus ſuſpectus manet & periculoſus. Cætera alexipharmaca & antidoti, quæ ad frangendam ac retundendam venenatã putrefactionem, roborandum cor, vireſq; cõfirmandas aſſumuntur, nihil prohibet quouis tempore exhibere, modo citra nauſeam ſumantur & faſtidium. Si enim ventriculum perturbatura vomitumq; motura videantur, paulo longius vel ante vel poſt ſectionem venæ offerẽtur. Notum enim eſt, multis venæ ſectionem ventriculum recte affectum conturbare. Abſq; faſtidio ſumta, atque paulo ante apertionem venæ, nõ tantum roborabunt, ſed præterea, ne ventriculus à ſanguinis miſſione pro more aliquid patiatur, efficient. Sæpius autem, ſi iuuari ægrum veli- NB.

mus, & iusto interposito spatio, erunt repetēda. Corde enim primum his corroborato, quod imprimis curandum, alacrius postea à se per venam sectam venenatum aliò sanguinem depellet.

5. *An in peste purgandum?*

Qui Hippocratis & Galeni dogmata vesana quadam rabie & licentia allatrant, in peste à vacuantibus seu purgantibus per aluum omnino abstinendum volunt, iudicio plane cæco. Itaq; ad Elleborum vocandi sunt, pestilensque hæc opinio veræ medicinæ sumtis alexipharmacis declinanda, aut igne etiā Hippocratico est exurenda. Si enim illis licet veterem veramque medicinam arrodere, cur non ipsius excultorib. defendere? Sed ad rem. Si corpus laborat cacochymia, prauisque succis in ventriculo & circa vias communes redundat ac circūfluit, sanguine in venis non turgente, purgante ilico pharmaco, quo humores vitiati educantur, vtendum præstantissimi fere medici omnes antiqui & recentiores, Græci & Latini, rationibus naturæ & experientiæ consentaneis, præcipiunt, hac tamen cautela, vt omnium circumstantiarum diligens habeatur ratio, pharmacum purgans non sit acre ac vehemens, ne scilicet profluuium alui excitetur, quod in pestilente febri perniciosum,

Cautela.

ſum, cum peſtilentiæ tempore leuiſſima occaſione humores commoueantur, inq; ventrem faciant impetum. Eiuſmodi inquam catharticum imperandum, quod ſine inſigni humorum agitatione primam corporis regionem, primaſq; ſuperfluitates ex ventriculo, venis meſaraicis, inteſtinis tenuibus & craſſis ſine notabili attractione expurget. Quod ſi vero ſuperfluitates collectæ in prędictis locis ſint craſſæ & & viſcidæ, copioſaq; prauorum ſuccorum moles ſit coaceruata, ad paulo validiora erit confugiendum, ita tamen vt ſemper admiſceantur, quæ cor roborent venenoq; reſiſtant, hoc enim ſi negligatur, recte à purgantibus abſtinendum monetur. Vnde in eo maxime peccare videtur, qui peſte correptis purgans pharmacum nõ exhibendum mandant, quod corporum peſte correptorum eorumque diſpoſitionum nullam plane habent rationem. Et quomodo poſſunt, qui ab ægrotorum viſitatione abſtinent magno cum faſtidio. Si diuinus ille Chriſtianę charitatis ignis in illis ſplenderet, non fingerent neſcio quod contagium, propter quod ædes peſte infectæ ſint vitandæ. Si digitis vlcus tangerent, corpuſq; adeo ſępe prauis humoribus ſcatere obſeruarent, vt ante, & venæ ſectionem, & etiã antidotorũ vſum omnino purgandũ ſit, nõ certe ita temere à purgantibus abſtinendum eſſe iuberẽt pſuaderẽtq; imperitiorib. adblandientes m-

gis quam verum enuntiantes. At licet pestis hyparxis consistat potius in venenata ac praua qualitate, quam materiæ copia, vnde solis antidotis & alexipharmacis contra illam pugnandum, nihilominus tamen, ne flagrantissima febris ab vsu calidorum antidotorum incendatur magis, succiq; praui in corpore collecti, calidis remediis accensi vberiorem veneno præbeant fomitem, inq; parte aliqua principe phlegmonem accendant, purgatio instituēda est ad materiam veneficam & prauam educendam, nisi enim natura ilico vindicetur ab hoc hoste, conclamatum erit. Et vsus docuit hæc proba esse & vera. Quod si vero corpus à prauis succis sit purum, & à cacochymia liberum, à purgatione non immerito abstinendum: præceps enim in ventrem esse solet humorum descensus eo tempore quo pestis sæuit. Itaq; si pesti alicui id sit solenne, caue purges. Non enim tunc temere ad vectoria & vibrantia pharmaca deueniendum est, nisi tam valida, vt dictum, cacochymia corpora sint fœdata, vt, ni illa purgetur, & phlebotomia & antidota calida operam ludant. Quisquis igitur pestis tēpore Medici officium pręstat ægrotos visitādo, cōsilioq; ac ope eos subleuando, obseruet, num aluus plures auferat: siq; ita sit, abstineat, sin vero alui fluore liberentur, purget, certa tamen tecmarsi. Hanc cautelam iuxta non erit difficile prudenti medico purgantibus

tibus vti. Nunc formulas quaſdam purgantium medicamẽtorum ex optimis Practicis adiiciam, quorum vſus tum in præſeruatione, tum in curatione celebratur.

Ea quæ purgant, vel per os purgant & vomitum, vel per aluum, & vtraque leniter vel valide. Tam autem in pręſeruatione quam curatione ab acrioribus purgantibus abſtinendum ob cauſas ſupra commemoratas. Atq; huc reſpexiſſe videtur Cornelius Celſus cum docet, peſtis tempore non eſſe mittendum ſanguinem, aut non purgandum fortioribus medicamentis, ne fiat humorum agitatio. In qua etiam ſententia fuiſſe Rhaſin inuenio. Vomitum quod attinet, in præſeruatione eum magis profuiſſe quam in curatione obſeruatum eſt. Vnde vomitoria in curatione raro probantur, niſi febris peſtilens oriatur à veneno aſſumto. In præſeruatione vtilis quandoque & aliquibus vomitus eſt, ſi medicamento conueniente recteque præparato excitetur, vt decocto radicis aſari cum Carduobenedicto, hoc enim per vomitum excludit quicquid in ventriculo impuritatum reſidet, ſimulq; per ſudorem expurgat. In curatione quoque quandoq; prodeſt, ſed adiectis quæ cor corroberent, venenoq; reſiſtant, & cum hac obſeruatione. Cum peſtilens febris aliquem comprehendit, vide, num cum deiectione alui, aut cum vomitu inuadat? Cum enim vtraq; regio ſit ad

Vomitiones cientia an in febribus peſtilentibus conueniant, & quando?

ſuperfluos humores vacuandos conuenientiſſima, per vtrãq; euacuatio inſtitui poteſt eorum, quæ abundant iuxta illud Hipp. aph. 21. l. 1. quo natura vergit, eo ducere expedit, modo per loca conuenientia id fiat. Si incipit cum vomitu, eoque plures liberentur, vomitiuo natura iuuetur, ſed non violento, id enim vias aperit veneno ad cor; & ſi æger eſt vomibundus: ſin cum alui deiectione, itidemque plures per eam euadere animaduertatur, naturæ pharmaco per aluum ducente ſuccurre, ſed, vt dictum, mitiori & leniori: tali enim materia venenata à corde vna reuellitur. Si fœcalis tantum ſuperfluitas vrget, materiaque in craſſis inteſtinis reſidet, per lenientes clyſteres commode educitur.

Inter vomitum cientia præſtant quoq; flores antimonij rubei probe præparati ad grana, 3, 4, & ſummum 5. Nec non victriolum Romanum valde ſiccatum, id reſoluitur in aqua, perque reſidentiam depuratur, depuratum euapora, inq; fundo ſubſidet victriolum, in forma ſalis, de quo propina ſcrupulum vnum, duos vel 3. hoc eſt drachmàm, cum aqua borraginis, conſerua roſarum vel roſinarini. vel etiam grana aliquot, ſi vires langueant.

Porro leniter & ſine inſigni aliqua humorum agitatione per aluum purgant infuſiones rhabarbari & agarici in decocto illarum herbarum, quæ

quæ venenis reſiſtunt, habita tamen ſemper ratione cuiuſque ætatis, virium, conſuetudinis, temperamentiq;. Agaricus in hoc malo inſignis eſt, non ſolum enim veneno reſiſtit, ſed pectoris etiam & pulmonis vitia emendat, ſuperfluaque ex illis euacuat. Rhabarbarum epar magis reſpicit & ventriculum. Huc pertinent pillulæ Ruffi celebratiſſimę & peſtilentiales dictæ, quarum tamen frequentior vſus eſt in præſeruatione. Compoſitio earum talis eſt. Rec. aloes vnc. 2. myrrh. vnciam vnam: croci vnciã dimidiam. cum vino aromatite fiant pillulę ad magnitudinem cicerum. doſis drachma vna, & quandoq; vna cum dimidia. Crocus vires ac cor recreat, myrrha putredinem arcet, aloe immerſos ventri tumores educit, & ab infarctu liberat. Antequam vero peſtilens febris prehenderit actu, minori doſi, maiori vero, cum iam inuaſit, prædictæ pillulæ ſunt offerendæ, maiori enim vi ad morbum depellendum opus eſt.

Crocus cor hominis.

Petrus Drœtus Medicus Pariſienſ. in libello ſuo de peſtilentia cõmendat pillulas ſequentes. Rec. rhabarbari ſelecti vnciam vnam cũ dimidia. agarici vnciam vnam. ſenæ mundatæ vnc. 4, cinnamomi vnc. ſemis, Zinziberis ſcru. 2. aniſi, fœniculi ſing. drachm. 2. Reducãtur omnia in puluerem, quem irrorabis aqua vitæ, poſtea macerabis aqua communi aut borraginis, quã, cum ſatis fuerit colorata, colabis, ſimilẽq; aquã affundes,

des ſuper fæces, ac macerabis vt prius, percolabis, exprimeſq;, percolatum lento igne decoques ad mellis conſiſtentiam, additoq; ſaccharo ſeruabis ad vſum: da pillulas 5, vel 6, plus vel minus pro ratione virium, ætatis, conſuetudinis & temperamenti.

Baptiſta Agnellus Anglus feliciter tempore peſtilentiali vtebatur ſequente opiata. Recip. agrimon. abſinth. Romani, ſing. manipulum vnum, aniſi vnciam ſemis, ſenæ vncias duas: fiat decoctio in aqua communi per horas 4, deinde fortiter omnia exprimantur, expreſſioni adde ſacchari vnciam, caſſiæ mundatæ vnc. 2. fiat forma opiati, doſis vncia ſemis.

Alii commendant tripheram Perſicam, diacatholicum, ſirupum roſarum laxatiuum, hæc enim euacuant ſine magna agitatione, calefactione, viriumq; deiectione, propter quas cauſas alia cathartica reiiciuntur. Rec. tripheræ Perſic. vnc. vnam, aquæ borraginis & buglοſſ. ſing. vnc. 4. fiat hauſtus. Vel. Rec. diacathol. drachmas 6. propinentur cum aqua hordei. vel. Rec. ſirupi roſarum laxatiui vnciam vnam cum dimidia, detur cum aqua endiu. vel cichoreæ. Ac triphera Perſica hic habet vſum, quia minus laxat & calefacit, aſtrictionemq; quandam relinquit. Ioh. Heurnius in libro ſuo de peſte deſcribit purgationem, ſudorem ſimul mouẽtem, cor firmantẽ, venenoq; reſiſtentem. Rec. cepam

albam

albam magnã superiori parte excauatam, exemptoq; corde impleatur theriacæ optimæ drachma addẽdo parũ pulueris tormẽtillæ & dictãni: inuolue papyro humidæ, asseturq; sub cinerib. calidis, postea cõtũde in formã pultis, adiiciẽdo parum aceti calendulæ cum aqua carduibenedicti, & fiat fortis expressio, cui adde in tenellis naturis tripheræ persicæ semũciam, cũ drachma vna electuarii hamech vel Indi, & è succo rosarũ, & diaphœnici drachmas duas. Quidam pro maximo secreto habuerunt & etiãnunc habent pillulas de euforbio. Vbi tamẽ obseruandũ semper admiscenda & contemperanda esse refrigerantia, ne febris efferuescat, tum etiã hæc medicamenta, nisi quid impediat, statim intra 10. à venæ sectione (si hæc facta est) horis esse exhibenda, quoniam materia venefica vrget magis quam turget. Vnde rectissime Auicenna, incoandũ esse à pharmaco vel venę sectione. Corporũ quoq; peste correptorũ naturã diligenter esse perscrutandam supra monuimus, si enim illa valida cacochymia sint defœdata, & non purgentur, antidota calida frustra adhiberi censendum est, testante experiẽtia, & cum ea saniorib. practicis omnib. Quæ causa esse videtur, quod Iohannes Carpẽsis plurimos sanarit anno 1527. Is enim ineũte morbo præscripsit laxatiuum, & in augmento purgabat. Et Gentilis dicit, medicos sui æui feliciter vsos esse scammonio, Auen- *Cautela.*

zoar propinat remedium, quod recipit euphorbiũ, quia tamen vrit, præstat exhibere cũ cassia, hæc enim vim causticã obtundit. Ego frequẽter & feliciter vsus sum sequentib. pillulis, quæ sine omni noxa & humorum agitatione aluum purgant.

Pillula authoris. ℞. hieræ picr. drachmas 2. cocchiar. myrrhæ, mastichis diacridii, trociscorum alhan. Ellebori nigri præparati, sing. drach. 1. cum sir. rosar. laxat. fiant pill. n. Hæ pillulæ sunt benignissimum alui laxatiuum, tam in statu sanitatis, cum sc. superfluitatibus prauis intestina & ventriculus abundant, quam morboso. purgant enim bilem vtramq; & phlegma tam crassum quã serosum. Summa dosis 5. robustissimo 6. mediocris 3. pueris bimulis vel trimulis datur vna, vel etiã vna cum dimidia, sed quia paulo sunt grandiores, cum ouo sorbili ac mollissime cocto in partes diuisæ, vel in minutas pillulas conglobatæ, commodissime deglutiuntur. Vnum hic occurrit, quod præteritum non oportuit. *Not.* Si ægri in principio vomibundi nõ sunt, à vomitiuis abstinendum, magisque tunc laudatur aluina purgatio. Post hanc sudare præstat. Quibus vero medicamenta minus grata sunt, sed fastidium afferunt, ijs clystere aluus sæpe subducenda. Si sanguis cum reliquis humoribus abundat, prius vacuatio per aluum instituenda, postea vero sanguis detrahendus est, præsertim si amplæ & ma-

magnæ venæ appareant. Tantum de purgatione.

6. *In peste an fonticulis vtendum & vesicantibus?*

Ambrosius Paræus consulit, vt ægrotos inuisuri curent sibi fieri fonticulos in brachiis & crurib. quoniã natura per ea loca, quicquid humoris noxii in corpore coaceruatum est, expurgare cõsueuit, illudq; relegabit virus, quod alias ad principes partes appulisset. Apud Libyæ populos antiquissimum fuisse vrendi modũ ab antiquis etiam medicis vsurpatum, testatũ facit Herodotus in quarto, vbi latine versa leguntur sequentia : puerorum suorum, cum annum attigerint quartum, œsypo ouillo venas verticis adur unt, alii vero ipsorum venas temporales. Quod ideo agunt, ne vllo tempore à capite descendens pituita offendat, & propter hoc seipsos sanissimos prædicant. Et certe Libes, omnium quos viderimus, hominum, existunt tales, an propter causam dictam, affirmare non audeo, sunt tamen sanissimi. Intellige autem œsypo feruente id eos factitasse, nam feruens oleum etiam vrere nemo ignorat. Sic Hippocrates sæpe lino crudo vrendum mandat, quod certe de ignito intelligendum esse Mercurialis libro secundo variar. lect.

lect.innuit. In Thuſcia ſimiliter ac nonnullis aliis Italiæ locis conſuetudo eſt, pueros adhuc lactentes vel paulo maiores in occipitio ferris ignitis vrere, ſpe hoc auxilio à pituitæ malis & præſertim comitiali morbo eos liberandi. Contingit autẽ aliquando, vt inter vrendũ ſuperueniat conuulſio, vt cum læditur neruus, contra quã inuentum remedium eſt cum hirci vrina aſperſio, qua eos ab illa reddunt tutos.

Pueri ne epilepſia corripiantur.

Fonticulus.

Porro fonticulus eſt vlcus, quod fit à cauſa cõburente, vt ferro vel auro candente, in momẽto enim & abſq; doloris ſenſu cruſtã inducit, qua decidente fit vlcus cauũ, vt egrediatur euacueturq; materia morbifica & ſuperflua à partibus remotis & nobilioribus. In vlcus ipſum immittitur pila ex radice ebuli, gentianę, vel etiam piſum, alii frequenter imponunt folia hederę, & puluerem veratri albi vel nigri. Notandũ autẽ, in fonticulis, qui venenis extrahẽdis inuruntur, celerrime æſcharam eſſe remouẽdam frequenter applicando butyrum recens calidum, quo ęſchara auellitur. Per æſcharam æquus lector intelligat cruſtã proprie, quæ à ferro candente inducta eſt, craſſam nigramq; quæ ſua etiam ſponte in vlceribus quibuſdam cauis accreſcit. Inuruntur autem fonticuli nunc maiores, nunc minores, pro vario modo materiæ reuellendæ, in capite, ſutura coronali, & circa eam ad latera, in artubus ſuperioribus & inferioribus, id eſt, cruribus,

ribus, femoribus, brachiis, & ſpatulis. Proban- *Veſicantia.* tur quoq; veſicantia, id eſt, puſtulas veſicaſque excitantia, quale eſt illud cauſticorum genus, quod habet vim vrendi potentia, cutemq; diuellendi atq; exulcerandi, vt ſunt cantharides, piper, ſcylla, euforbium, vrtica, ſinapi, ranunculus, fimum columbinum, caprinũ, tithymalus, metalla acriora, ſublimatus, arſenicum, antimonium & ſimilia. Formula talis eſt. Rec. cantharidũ præp. & ceroti ſacri ſing. vnciam ſemis, fiatq; paſta pro veſicatorio. Vel. Rec. cantharidum præpar. extremis partibus ablatis, drachmam vnã, euforbii, ſinapi, radicis ari, ſing. ſcrupulum vnum. fermenti acerrimi vnciam ſemis, olei liliorum quantum ſatis eſt pro veſicatorio incorporando.

Modus applicandi. Impoſtores, circulatores, imperitiq; chirurgi, nec non barbitonſores triobolares, miſeris ægrotis hic nefarie imponunt, dum ſc. arroganter in capitis doloribus oculorumq; leui inflãmatione veſicas excitãt in occipitio infra cerebellũ, Eſcharotico in ſat amplo platyſmate extenſo, quo cutis adeo vlceratur ac diuellitur, vt ferarum laniatui fere ſimilem dixeris: quin malum ſæpe augent, dum materiam morbificam ab anterioribus capitis partibus auertendo reuellunt in ſpinalem medullam, vnde poſtea periculoſa ſæpe ſymptomata ſolent induci. Quapropter cautio adhibenda eſt in eiuſmodi cau-

ſticis, quæ in minima etiã doſi veſicando cutim aperiunt, ad quem vſum fabricandi ſunt caliculi aliquot (ſimiles caſtaneis vel glandibus) ex argento, multo tamen minores, vt ſcil. plus grano cannabino non recipiant, vel ad ſummum duo vel tria, quibus caliculis cauſticum includitur, locoq; aperiendo imprimitur, loco tamen, cui imponuntur, manibus prius affricato, vt laxatis ſpiraculis medicamenti vis celerius penetret: aliquando etiam nucis alueolo includitur, atq; ita imprimitur nucali teſta loco circumſcripto. Applicanda autem ſunt veſicantia vel ipſi buboni peſtilenti, vel paulo infra eundem, quãuis ſi ipſi tumori admouendum videbitur, præſtabit id apto linteolo applicare, quoniã forſan tumor caliculorum vel nucalis teſtę duritiem reformidat. Veſicæ aũt cõfiguntur, humorq; exprimitur, relinquitur vlcus, per quod materia omnino expurgatur, perq; 3 vel 4 dies detinetur apertum, folio hederę vel braſſicæ butyro inuncto, vel ceræ etiã momento. Prout vero affectio organi indicantis & actio materiæ morbificæ fuerit maior vel minor, pro eo longius vel breuius detinendum eſt veſicans: perſeuerante enim præſentia indicantis, affectuq; exiſtente cõtumaci, longiore tempore eſt detinendum, interdũ per horas 6, 8, 12 etiã & quandoq; longius. Verum notandũ, ſi tantũ vitæ caloriſq; refouendi cauſa veſicans adhibetur, maturius eſſe detrahendũ,

Nota circa veſicatoria.

nec

nec expectandum, donec existant bullæ & vesicę, longius enim si detineretur, exhauriret, quicquid caloris ad partis redintegrationem esset attractum.

7. *Cur quidam repente in contagione pestilenti moriantur, cum tamen non ita male affecti viderentur?*

De violento interitu in peste nõ immerito hic quæritur. Quidã enim se sanos esse putantes subito & repẽte concidunt. Constat ratione & experiẽtia, nullũ animal, nullamq; eius partẽ interire, calore natiuo & ingenito existente saluo. Et mortẽ aliud esse nihil, quã natiui caloris extinctionẽ. Pestilens igitur inspiratio nõ ante interficit, quam cordis calorẽ corruperit, eiusq; tẽperamentum labefactarit. Quod certe in multis fit subito & improuiso, quando sc. tunc peste moriuntur, cum adhuc mediocriter habere putantur ac vix se febrire sentiunt. Accidit autem subita illa in febri pestilenti extinctio, cum venenata qualitas raptim spirituosas ac solidas cordis partes peruadit, easque expugnat, vnde spirituum subita resolutio, virtutisq; vitalis deiectio. Cum enim vires concidunt, spiritusque resoluuntur, causa autem morbifica & venenata non vacuatur, ægrum subito extingui necesse est, cũ nihil sit in corpore reliquũ, ꝗ vitã seruare, venenũq; possit debellare. Itaq; cũ pestilẽs vapor ita spirit⁹ vitales cordisq; tẽperaturã labefa-

ctat,vt formaliter destruat,ęgrum subito extingui necesse est, non enim per simplicē intēperiē hoc fit,sed putredinalem, vel si mauis, putrefactiuam, quæ corrigi nequit, corrumpit enim ilico partem,cui insedit, putrefaciendo, hoc est, cordis calorem natiuamq; eius temperaturam destruendo. Nam cordis temperaturam destruunt,caloremq; eius corrumpunt, quæcunq; vel Spiritum vel sanguinem ei eripiunt, vel hæc eadem reddunt intemperata, siquidem medici non considerant cor absq; sanguine & spiritibus, vt lanii, qui seorsim, quoad scil. solida est substantia à spiritibus & humoribus distincta, cor intuentur. Si enim sine sanguine & spiritibus nec viuere,nec officium suum exequi, nec temperaturam suam custodire vllo pacto cor valet, sequitur modo dicta esse verissima. At verum prius, Igitur & posterius. Non omittendum, quod in iis, qui ita subito peste extinguuntur, venenum pestilens sæpe intra venas latuerit,aut etiam per alias corporis partes subierit, quam se prodiderit, nec tamen interim fuerit otiosum, sed furtim & latenter humores corrumpendo ad cor vsq;penetrarit,cuius postea ex violento isto afflatu, nectar, cæteris partibus à veneno ante debilitatis atq; deprauatis, opem nullam ferentibus facile & subito etiam dissipatur,atq; extinguitur.

8. *Qui-*

8. *Quinam peste facile corripiantur?*

Cum aer & contagium pestilens nõ omnes interficiat, plures enim cum infectis cohabitant, spiritum eundem inquinatum, aut certe aerem eundem per inspirationem attrahentes citra noxam, non immerito quæritur, quinã potissimum ab aere pestilẽti inficiantur, & cur non omnes, qui talem aerem inspirant?

℞. Quemadmodum pro varia corporũ humorumq; conditione ac dispositione variis etiam symptomatibus peste correpti inquietantur, quandoq; mitioribus, quandoq; grauioribus, vix enim duos videas, aut tres eadem contagione inquinatos, similibus premi symptomatis, sic quoq; pro diuersa humorũ, spirituũ, ipsiusq; cordis dispositione & inclinatione alij aliis facilius celeriusq; peste corripiuntur ac enecantur, aliis venenatam aurã sine noxa haurientibus. 1. Non enim omnes interficit aer in peste, sed illos tantum, qui vel humores, vel spiritus, vel cordis substantiam habent dispositam ad putrescendum, siue illa dispositio oriatur ab astris, siue ab elementis & corporibus sublunaribus. 2. Cacochymia laborantes facilius à peste inuaduntur, argumẽto sunt puerperæ carnibusque nimium se infarcientes, ac in immunditia viuentes, tales namq; corruptioni sunt subiecti.

3. Quibus cor eſt calidius natura vel dięta, ob auctã reſpirandi neceſſitatẽ, ad peſtem ſunt procliuiores, dum enim reſpirandi augetur neceſſitas cor auidius venenum in ſe rapit.

4. Quemadmodũ peſtilentia grauior & ſæuior euadit in regionibus calidis, putrilaginoſiſq; inſpirationibus ſubiectis & infectis, q̃ in ſiccis & frigidiorib. ac puris, rurſumq; grauior æſtate quã hieme, & auſtrina tempeſtate, quam aquilonari, tũ inæquali intemperatoq; cœlo, q̃ temperato, ita peſte pernitioſius & facilius corripiũtur, corpora calidiora & humidiora, quęq; natura latiora & patentiora habent ſpiracula cutis, quorum raritate contagioſa aura facilius intra corpus penetrat, humores ac ſpiritus inquinans, quã frigidiora & ſicciora, moderateq; laxa & ſtricta.

5. Præterea omnia corpora ab ortu imbecillitatem nacta, vt & ea q̃ iam ægra extiterunt, ad peſtem contrahendã aptiora ſunt exceptis arthriticis & podagricis potiſſimũ, tum ẽt iis, quę morbo gallico inquinata ſunt, & vlceribus ſcatent, & huius rei veritatẽ monſtrat ipſa experientia. Interim tamen prætereundũ nõ eſt, corpora robuſta, ſi praua diæta vtantur, nõ minus quam imbecillia affici, quemadmodum vehemens ventorum flatus quercum deiicit ac proſternit, non arundinem, quercus enim dura ac valida vim magnę tempeſtatis ſuſtinere nõ valet, quam

let, quam arundo mollis, flexilis, ventorumq; afflatibus cedens facile perfert.

6. Inter quos est familiæ vel temperamenti similitudo, peste fere facilius corripiuntur omnes, spirituali continuatione ac efficientia.

7. Sed vix euadunt, immunesque sunt, qui conuenientiam quandam habent & cognationem cum illo astro, cuius motu & occulto influxu aeri μιάσματα & pestifera inquinamenta sunt impressa. Atque prudentem maxime hic decet esse Medicum, vt sciat, vel discat, an pestis causa ad cœleste defluuium sit referenda, an vero ad terrestres, aquæque expirationes? aliter enim illic, aliter hic curatio auspicanda, illic cœlestia, hic terrestria alexipharmaca laudem obtinent, illic smaragdus, hic theriaca veneno est antipathetica. *Nota.*

8. Caueant sibi in nouilunio nati circa nouilunium, vt & in plenilunio circa plenilunium. Vis aliquid secretioris? Caue tibi singulis mensibus, quibus pestis sæuit, cum luna venit ad eum locum & signum cœli, in quo erat Saturnus vel Mars tempore natiuitatis. Sed vix millesimus hoc obseruat, vnde etiam sæpe in vno pago vel vrbe vix quarta pars à pestilenti afflatu intacta relinquitur.

9. Qui densam habent texturã, & maxime si sunt in secundo senio, qui frigidi sunt & sicci,

caloremq; cordis habent remissiorē, facilē, & temperatā respirationem, minus ad pestē sunt proni. Plin. lib. 7.c.50. scribit senes pestilentiā non sentire, & maxime si optimam vitæ rationem ineant. Succi pleni homines magis corripiuntur. Pisces à peste non infestari Aristoteles autor est. Virgines nubiles, magis tamen in Venerem pronas, vt & fœminas citius & peste corripi & correptas vt plurimū cōmori ex semine in vasis corrupto & vltra tempus reseruato, aut menstruis suppressis, aut pituitosorum humorum coaceruatione laborantes, experientia compertum est.

9. *Quibus signis dignoscatur terram vel aerem esse corruptum & venenatum?*

Hippocrat. lib. de aere, aqua & locis, inquit, quæ ex terra proueniunt, terræ ipsius naturam recipiunt. Et Galenus 1. de element. Sata atq; plantæ, cum terrā subeūt, trahit vnumquodq; quod terræ inest suæ naturæ conueniens: sed cū id q. attrahitur, inquinatum est, coguntur etiā ea inquinari. Vnde terra corrupta ac vitiata, corrumpuntur similiter quæ ex ea proueniūt, vt sata, germina, vites, arbores: fructus fiūt insipidi, iniucundi, cito corruptibiles, ac fungorū & ex putrefactione ortarū rerū emergit copia. Terræ tunc germina, arbores, plantæq; pereūt, desiccantur, frumenta ante maturitatis terminum

num rubigine vitiantur & ærugine, eorumq; esu bruta intereunt, tuncq; insecta, & immūda muscarum, cimicum, papilionū, locustarū, aranearum, erucarum, buprestū, scarabæorumq; examina, corruptionem insignem denunciant. Quin & animalia sub terra viuentia, vt angues, talpæ, mures, vermes, sedes suas relinquūt, pestemq; terræ pręsagiunt. Oues quoq; venenatū halitum in pascuis inspirantes, prius inficiūtur, quia humidiores, inde sues & boues (quod hoc anno 1612. multis in locis Germaniæ accidisse magno cū dispendio constat) minus his capræ, equi & canes, quamuis feles & canes pestem quādoq; in ædes & habitacula importasse notum est. Sed & volatilia prope terram volitare assueta ad altissima montium iuga & cacumina properant, quam citissime, subterranearum sc. expirationum malignitatem olfacientia. Terra similiter euadit sterilis præter consuetudinem, vigent terræ motus, & animalia cauernas fugiunt: apostemata apparēt in ægro dura, & pestilentialia, difficiles somni, color cutis liuidus. Atq; hęc sunt signa terræ corruptæ & vitiatæ.

Signa aeris inquinati & infecti.

Signa aerij veneni sunt indubitata, cū aues repente in terram concidūt, hirundines nidos ac pullos relinquunt, ꝙ hoc ipso anno mense Augusto obseruauimus cum stupore, cū ouū,

panis,pomũ,caro,aut ſimile quippiã aeri expoſitũ cito ac pter ſolitũ corrumpitur ac putreſit, cũ panis ex clibano recẽs deſumptus calidusq; lanceæ impoſitus, ac ſub dio per noctem aeri expoſitus, mucidus mane ac putris apparet, iſque à gallinis poſtea eſitatus vel canibus, eas interficit, ſi denique omnia obſoniorum genera ſub dio vel in patentibus conclauibus locata ſitum & mucorẽ contrahunt, hæc omnia arguunt aerem eſſe putrefactum & inquinatum. Ego certiſſimum aeris inquinati ſignum eſſe puto repentinam aranearum copiam, ſubitariumq; & inſolens earundem incrementũ, quale in noſtra ſuperioris anni peſte vidimus. Vnde male ſibi & ſuis conſulunt, qui peſtis tempore ædes & cubicula ab araneis purganda atque euerrenda eſſe ſuadent. attrahit enim hoc animalculum vel inſectum μίασμα, ſeu inquinamentum aeris pro alimento. Prothaſius Rouellus Cardani coætaneus & amicus refert Anno 1524. cum peſtis in Mediolano vrbe crudeliter ſæuiret, vidiſſe ſe panem recentem non ſolum mucidum euaſiſſe, ſed totum ſcatuiſſe vermiculis, beneque valentes peſte correptos 6. intra aut 8. horas expiraſſe. Quidam non fallaci experimento, vt refert Foreſtus in obſernat. ſua 11. l. 6. de febrib. epidem. docent, ſi ouum recens manu diutius teneatur, & tandem euadat liuidum, poſitoque in

N. de araneis.

menſa

mensa aliud ouum apponatur, idque eodem colore, quo prius, inficiatur, tertium vero album & purum permaneat, cito longiusque à loco pestilenti fugiendum esse ob aerem vitiatum & venenatum. Vnde pernitiosissimam esse pestem, quæ ex aeris vitio prouenit, vt sine quo nec viuere, nec spirare valeamus, in confesso est apud omnes. Inspiratus enim si cito & sensibiliter lædit, corruptionem indicat non leuem, similiter si tumores in ægroto erumpunt circa humeros & infra brachia sub axillis, si tibiarum adest hinc inde iactatio, si asthma siccum infestat, dolorque capitis ac phrenitis inquietant.

Cum est pinguis, tactu tepida & virescens, ranæ multiplicantur, aliaque animalcula è putri materia in aqua oriuntur, pisceſque quandoq; moriuntur, sitis ingēs in ægro, paucus somnus, tumores pedum, & signa circa pudenda, potare nolunt, & pedes intumescunt. *Signa pest[...] aquæ.*

Somnus continuus & indesinens, in ægro calor intensus, tumores magni pone aures, sitim non habet: ignitarum exhalationum frequens apparitio. *Signa pestis ignis.*

Si febricitantes vsos esse constat potu cibisque corrupris & putredini obnoxiis, vt contingere solet tempore caritatis annonæ, dū aqua, quæ bibitur, est putris, cibiq; putres. *Signa pestis alimenti.*

Si febris obotta est ab indumentis & vestibus, quibus materia quædam misti insigniter *Signa seminarii pestilentis.*

putrefacti inhæret, quæ materia nihil aliud est quam situs, hoc est, illuuies & corruptio pannis se inuisibiliter insinuans.

Ipsius vero febris pestilentis differentiæ ab ipsa febri sumuntur, vt febris pestilẽs sit putrida vel hectica: illa putrefaciendo & calefaciendo in humores, hæc in solida & substantiam cordis agit.

Signa febris pestilentis putridæ.

Putridæ pestilentis signa sunt, delirium, sitis ingens, sensus feruoris insignis, venenum enim calidum vapores mittit in caput, vnde deliriũ; in os ventriculi, vnde sitis; in viscera, vnde videntur vri: anhelitus magnus & frequens, quia succi vehementer putrescunt; impotentia quiescendi, quia materia pestilens turbat partes musculosas; vigiliæ, pulsus frequens & paruus, quia virtus plerunq; est debilis, statimq; concidit; excrementa fœtentia & colliquatio: fœtoris causa est putredo, colliquationis calor intẽsus: adsunt vibices & stigmata citra tumorem, pustulę, carbũculi, bubones, parotides, tumores circa axillas, oris inflammationes.

Signa hecticæ pestilentis.

Hectica indicatur ex fœtido anhelitu, nam cordis facultas ita succumbit, vt succos regere nequeat, quare putrescũt: è pulsu debili, morbus enim necessario est in habitu, non in habitudine tantũ: æger febrim non sentit, lotium non mutatur, quia vitium non est in succis, calor est aeris quidem, sed debilis & æqualis: non

delirant

rant neque alui profluuio alioq; ſymptomate conflictantur.

Submonitio neceſſaria.

Ephemeram peſtilentem, hoc eſt, vnius diei quidam omittunt, eamque non dari contendunt, putantes, neceſſario febrim peſtilentem degenerare ſtatim in putridam & hecticam, raroque calorem figi in Spiritibus, qui putreſcere nequeant, ob mobilitatem ſc. & tenuitatem. Sed experientia reclamat, eosq; refellit. Falluntur enim, dum Spiritus putreſcere negant. Sunt enim res mixta ex ſanguine genita, & modo teneriores ac puriores, modo turbidiores exiſtunt ac craſſiores. Miſta autem putreſcere, vaporemq; ſanguinis, ex quo ſpiritus generantur, putredinis eſſe capacem nemo inficiabitur. Quare & ſpiritus putredinem ſubire veriſimile eſt. In confeſſo eſt omnibus, in peſte ſpiritus ita corrumpi aliquando, vt & febrim gignant, mortemque afferant. At non interficiunt propter inflammationem, quippe febris tanta nō apparet, ac multi ſe ne laborare quidem febri opinantur. Quapropter præter inflammationem aliud in ſpiritibus ineſſe tunc oportet, quod mortem inducat: hoc autem quid ſit aliud quàm putredo, fingi facilè non poteſt. Corrumpuntur ſpiritus extinctione, ſuffocatione, vacuatione, diſſipatione & alteratione præter naturam. In peſte autem nec extinctionem i-

Spiritus an putreſcant, & quomodo.

maginati, nec suffocationem fingere, nec vacuationem aut dissipationem prętexere semper licet. Reliquum igitur est, vt alterari præter naturam dicantur. Etenim inspiratus aer nec extinguit, nec suffocat, nec vacuat, nec dissipat eos semper tempore pestis, quare eosdem putrefacit, sicut enim humores putrefaciendo corrumpit, ita & spiritus. Putrescere igitur eos asserendum, febremq; Ephemeram contagiosam die vno vel occidentem vel ægrum deserentem, dari omnino statuendum est. Experientia & sensus, peste correptos putridum adeò expirare spiritum testantur, vt, qui eum à putredinis labe immunem dixerit, plane cœcutire videatur. Sciendum tamen spiritus nomine intelligi hîc non purum & sincerum spiritum, qui animo concipitur, ac reipsa non magis inuenitur, quam sanguis sincerus actu, sed eiusmodi spiritus, qui cum fuligine, aere inspirato, halitibus ex sanguine eleuatis vtilibus pariter & inutilibus misti sunt & confusi. Sic aerem putrescere dicimus, non purum illum & sincerum, sed qui cum vaporibus & halitibus permistus est, quibus in eo putrescentibus aer com putrescere dicitur. Quia enim in omni putredine fit humidi à sicco secretio, & putredo mistorum propriè est, elementa vero mista non sunt, aer sincerus putrescere non dicendus est.

Si i-

Si igitur in ſpiritibus putredo contagioſa acris fuerit, calor non eſt mordax neq; pungẽs, ægri in pectore maiorem calorem ſentiunt quã reliquis corporis partibus, pulſus non eſt in totum imbecillis, ſed aliquanto velocior ſolito, non adeo tamen frequens, vt quando in humoribus peſtis conſiſtit: vrina eſt naturali ſimilis, nullus ſudor erumpit, ſed mador tantum in fronte & ceruice, lingua eſt arida & aſpera, non multum ſitiunt, neq; huc neq; illuc ſe iactant, propterea quod vis naturalis in totum proſtrata eſt, continuo illis anima deficit, neque puſtulæ, papulæ aut alui profluuium illis ſuperuenit, ſed ſubita mors in propinquo eſt, niſi primo morbi inſultu prouideatur. Hac febri plurimos interire peſtis graſſantis tempore extra dubium eſt. *Signa Ephemeræ peſtilentis.*

Si attractus aer peſtilens per nares aut aliunde cerebrum læſerit, adſunt tremores, mœſtitiæ, dolor capitis, delirium in primo morbi inſultu, defluxus bilioſi vel pituitoſi humoris è cerebro in ventriculum, pulmonesue, propenſio in ſomnum aut vigiliæ ſuperfluæ, tumores in collo & pone aures, vertigo, aurium tinnitus, facies rubra, temporum pulſatio vehemens. *Signa, ſi aer peſtilẽs cerebrum primo inuaſit.*

Signa quæ auram venenatam in ſanguine ſubſiſtere demonſtrant, ſunt calor nõ mordax, ſed blandus & mitis, laſſitudo tenſiua totius cor- *Signa, ſi in eparcontagium primo irrepſit.*

corporis, deiectiones malè olentes, liquidæ, copiosæ, decubitus ægrotantis supinus, capitis grauitas, temporum pulsatio, delirium circa 4. vel 7. diem, sitis nulla aut exigua, lingua sordida, vrinæ rubentes & confusæ, pustulæ erumpentes in vniuerso habitu corporis, cum primis tamen dorso, pectore, brachiis rubentes pulicum morsibus non absimiles.

Signa, si bilem magis infestet. Si in bile malum constat, ægri vexantur inquietudine, incendium tantum circa præcordia conceptum sentiunt, facie sunt pallida, & per interualla rubea, sitiunt valde, linguam habent præaridam, vigiliæ adsunt perpetuæ, spiritus graueolens, difficilis respiratio, continuum aeris attrahendi desiderium, deiectiones alui biliosæ, tenues, fœtidæ, & pingues, vrina flaua, interdum & tenuis.

Signa, si pituitam. Crudiorem sanguinis partem cum lues infecerit, adest cõtinuus somnus, torpedo corporis, membra lassa, ructus acidus, tumores œdomatosi, hoc est, aquosi, molles, doloris expertes, prædominantem pituitam indicantes, vnde teneræ & humidæ naturæ facilius corripiuntur quàm senes aut laboribus dediti, vel qui frigido & humido sunt temperamento frigidisq; cibis enutriti.

Signa, si bilem atram. Vbi sanguinis fæcem aer pestilens occupat, ægri tristes ac præter consuetudinem solliciti sunt, mente alienantur, pulsum habent exiguum

um & profundum, lotium vino granatorum ſimile, ſubnigrum, abſceſſus ac puſtulæ quacunque in parte corporis fuerint humoris colorem & ideam repræſentant.

Verum hîc memineris, raro vnum aliquem humorem ſeorſim putreſcere in febri peſtilenti, multo minus ſolos humores ſine ſpiritibus, cum totam maſſam ſanguineam contagium peſtilens aggrediatur. Itaq; diligens ſignorum omnium collatio inſtituenda eſt. *Nota.*

Signorum porrò alia ſunt febris peſtiferæ imminentis, alia præſentis. Signa imminentis deſumuntur è corporis diſpoſitione & cauſarum præſentia. Si enim corpus eſt impurum, aut ex aliqua vacuatione imbecille, humidius, denſius (in quo tranſpirationes prohibentur) ſumma item veneni actiuitas eſt & vis, facile inficietur tempore peſtilentiæ, reſiſtereq; veneno non poteſt, niſi fugam arripiat. Præſens verò febris in genere indicatur, ſi cauſæ ſunt præſentes & homo febricitat, virtuſque robur non ſeruat, quoniam cor morbo afficitur contagioſo calido, quod in Ephemeris & putridis non peſtilentialibus minimè contingit. Quæ autem ſint cauſæ præſentes, vide ſupra, &c. *Signa febris peſtilentis imminentis vel præſentis.*

Hactenus de Symptomatibus peſtilentialibus, contagionisq; natura & cauſis, &c. ſequitur ſpecialior quædam peſtis curandæ methodus.

EA consistit tum in præcauendo, tum in morbo actu iam corripiente profligando.

Præsidia, quorum beneficio corpus munitur, ne afficiatur veneno pestilenti, generalia sunt, vel specialia.

Generalissimum prophylacticum est fuga, iuxta illud:

Hæc tria tabificam pellunt aduerbia pestem,
Mox, longè, tardè, cede, recede, redi.

Si enim summa est & insignis veneni vis, corpus resistere non potest, nisi fugam arripiat: summa veneni vis & actiuitas indicatur ex insigni aeris putrefactione. Quare non secus ac mors ipsa hoc malum fugiendum est, aliæque quærendæ sedes, vbi salus corporisq; incolumitas in tuto possit collocari. Etenim, se minus afflictum sentit qui prouidet ictum. Item, sis procul à iaculis & feriêre minus. Quapropter non audiendi scioli quidam Theologastri sunt, contendentes pestem frustra fugi, propterea quod Deus iustus & acerrimus scelerum vindex ab omnium ceruicibus quocunq; loco & tempore pestem possit repellere. Si, inquiunt, Deus decreuit, te hoc tempore peste sæuiente extinctum iri, frustra fugis. Si non decreuit, iterum frustra fugis. Non igitur fugiendum. Quasi vero acutum, sæuissimum & contagiosum morbum fugere, vitamq; & corpus conseruare, ne videlicet veneno repente corripiatur, èq; me-

Obi. contra fugam pestis.

dio

dio tollatur, sit fiduciam in Deum abiicere, vel in diuinæ opis fiducia desperare. Ob mortis gladiiq; metum sanctissimos etiam patres fugam arripuisse sacræ literæ testantur. De fuga Mosis in terram Midianiticam Pharaonis sæuitiam pertimescentis, vide in Exod. c. 2. Dauidis, 1. Samuel. 21. 22. Abrahami, Genes. 20. Isaaci, Genes. 26. Eliæ, 3. Reg. 19. Ergo & pestem tanquam penetrabile telum ardentemq; sagittam, èq; quatuor illis calamitatibus vnam, quas Deus apud Ezech. 37. minatus est pietatis desertoribus, licet fugere, seu pestis tempore secedere nefas non est. Humanis duntaxat præsidiis inniti, deq; prophylacticis tantum laborare sepositâ in Deum fiducia Christianum non est. Sicut nec laudabilis est illorum affectio qui temerario quodam ausu concessa media negligẽtes aduersus tanti mali sæuitiam se non præmuniunt, sed ægrotos visunt non vocati, & ita sponte in periculum ruunt, malumq; sæpè sibi accersunt.

Specialia præsidia vel diætætica sunt vel chirurgica, vel medicinalia: & hæc consideranda sunt iis, quibus pestis tempore profugere nec licitum est, nec integrum.

De Aere.

INter diætætica primo occurrit aer. Fieri enim nequit, vt viuaces existant homines aut

vale-

valetudine inculpata, vbi aer vitiosus est, putrediniq; obnoxius. Vt enim spirabile atque animale corpus externo aere sereno, puro, ab inquinamentis libero, ideoq; salubri, recreatur & conseruatur, sic eodem existente impuro, valetudo deprauatur atque corrumpitur. Cumq; aeris ac spiritus, quem attractione intra corporis nostri recessus concipimus, nō minus quam alimentorum vsus necessarius sit, & absque his aliquousq; subsistere vita possit, nam septenis nouenisq; diebus inediâ vt plurimum tabescentibus, absq; vero circumfuso aere ac flatibus ne tantillo quidem momento perdurare poterit, quin suffocetur, sequitur aerem respirationi inseruientem, cuiusq; beneficio adminiculoq; spiritum hinc inde reciprocantem producimus atque attrahimus, accurate obseruandum esse.

Prac. Quo igitur purior est, minusq; contagiosus, eo salubrior corpori existit. Contagiosus enim & pestilens cibo vitioso ac venenato deterior

NB. est atq; nocentior. Probatur. Cibus enim vomitu potest exturbari, ac reiici, calorisq; naturalis beneficio concoqui: aura vero spiritusque pestilens non facilè domari aut confici potest, vbi intimos corporis recessus occupauit, confestim enim cum spiritibus cordis commiscetur, quos inficit atq; depopulatur.

Præcauetur autem aer pestilens & corruptus

ptus multis modis. Primò si aditus illius ad ædes nostras præcludatur, sicut legitur M. Varro fecisse Corcyræ, cum enim in omnibus ædibus vicinis ægros decumbere videret, fenestras occlusit, quæ austrum putredinis promotorem, variorumq; morborum, Hipp. in aphor. teste, autorem, recipiebant, introduxitq; aliis nouis aquilonem, sicq; totam suam familiam incolumen seruauit, sartam ac tectam. Sed quod Varro fecit in Austro, id in Zephyro, Fauonio & Subsolano nobis faciendum est, quando animaduerterimus, flantibus iis ventis, pestem vel recrudescere, vel per eos ad nos deferri, Aquilo sua natura, quicquid in aere contagii est, exiccat absorbetq;, hoc enim spirante omnia clara, pellucida ac splendida cernuntur, inque hominibus excitatur alacritas animique vigor atque erectio, cum flatibus austrinis nubiloque cœlo mens caliginosa deprehendatur, ac remissa, fluxiones pariter ac catharri excitentur, vt testantur maritimi Belgæ, quorum ciuitates multæ austro sunt expositæ.

Præseruatio ab aere pestilenti fit variis modis.

Quapropter accuratissima habenda ratio est ventorum, qui ab aere promanant ac diffunduntur, non solum in libero apertoque aere, sed etiam in construendis erigendisq; ædibus, construendis porticibus, vestibulis, fenestris, ostiis, deligendisq; locis prospectuq;, per quem in triclinia, conclauia & cœnacula externi fla-

Præcept.

tus se ingerant, salubrique aura nos offendant.

Loci mutatio necessaria. Locorum igitur, vbi ex aeris putredine pestis ortum habuerit, mutatio hic necessaria fuerit, ab infimis sc. ad altiora, patentia & ampla ascendendo, inq; Septentriones vel Ortum spectantia. Si vero venti ab vna regione in aliam pestilentem halitum transuexerint, ex altiori mansione ad humiliorem confugiendum, vbi sc. solum aquosum sit, cœlumq; crassius, quod sc. difficilius superiorum impressiones ac vim excipiat.

Delectâ domo locoq;, aer, si impurus est, vt plurimum autem talis est, alterandus est & corrigendus, æstate quidem frigidis, hieme calidis. *Aer multis modis alteratur & corrigitur.* Igne in aere emendando nihil validius. Propterea laudantur illa cœnacula ac conclauia, in quibus sunt luculenti camini, quibus qui vtuntur, optimè sanitati consulunt.

Validissimum aeris maligni correctorium ignis. Testantur id populi Septentrionales, qui ad luculentos istos caminos, optimè se habent, vaporaria enim minus apud illos & probantur & in vsu sunt, credunt enim valetudini ea officere. Hippocrates sæuam illam Græciæ Athenarumq; pestem nemoribus combustis, ignibusque per compita excitatis depulit, multaq; hominum millia ab illa vindicauit, quod idem etiam Acronem Agrigentinum & Thaletem Milesium factitasse legimus. Huic incendio commodissime inseruiunt lignum iuniperinum,

cu-

cuius præstantiam frequens vsus commendat, abiegnum, quercinum, faginum, sambucinum, salignum, cerasorum etiam, & pyrorum, hæc enim & similia sicca vel viridia foco possunt imponi & accendi. Præstant etiam insignes in hoc casu vsus laurus, myrthus, cedrus, cupressus, sed exotica hæc sunt, & nostrę terræ fere incognita, quamuis sicca ad nos exportari possunt. Lignum etiam aloes & Santalium, quorum nobis esse potest copia, non minoris sunt hic præstantiæ, sed eorum vsus magis est in suffitibus.

Experientia mecum testabitur, lignis, iuniperinis, abiegnis, fraxineis (quod secretum est,) & tiliaceis, nullum in hoc casu esse prius & posterius: his succedunt quercinum & betulaceum.

Suffitu quoq; olfactuq; earum rerum, quæ vel manifesta vel occulta qualitate venenis aduersantur, aerem emendari ac alterari in experimentis est: sunt autem ligna & herbæ suauem expirantes odorem, vel enim ignibus hæc iniiciuntur integra, vel in puluerem redacta super carbones proiiciuntur, vt sunt lignum iuniperinum eiusq; baccæ, lignum aloes, santalinum, baccæ lauri. rosæ, violæ, cortex citri, arantiarũ, rosmarini frutex, eiusque folia, frutex lauendulæ cum floribus & foliis, saluia, maiorana, thymus, saturcia, origanum, hissopus, pulegium, absinthium, artemisia, *Suffitus.*

L 2 hype-

hypericum, rutha, ſerpillum, myrrha, thus, maſtix, garyophylli, ciñamomum, nux moſchata, laudanum, moſchus, ambra, camphora, & id genus alia. Vbi notandum æſtate frigidis calida eſſe contemperanda, vt roſis, ſantalo, floribus nymphea, cichorii, camphora & ſimilibus. Sulphur hieme celebratiſſimum eſt, aliis mixtum.

Nota. Camphoram in putredine omni arcenda venenoſiſq; halitibus profligandis non poſtremum obtinere locum ob exiccandi virtutem, ideo omnibus & ſuffitibus & odoramentis eſſe admiſcendam, eſt enim ſubtilium & cito penetrabilium partium magnam ſubſtantiæ, quadã familiaritate cum cordis ſpiritibus habentium ſympathian, proindeque mirifice eos hac recreari veriſimile eſt.

Camphoræ qualitas & natura diuerſa. De Camphoræ vero ipſius natura inter graues etiam autores non conuenit. Antiquis ignotam fuiſſe conſtat. Apud vnum Aetium fit eius mentio, ſed pro vnguentis eam ponit. Dynus Florent. canone 2. c. 3. calidarum eam partium eſſe fatetur ob multum odorem, qui teſte Ariſt. de ſenſu & ſenſibil. non niſi ex tenui fit euaporatione mediante calore, in halitum ſeu tenuiſſimum ſpiritum partes in corpore odorato extenuante ac reſoluente, vt in aerem diffundantur atq; expirent.

Neotericorum maior pars frigidam eam eſſe con-

contendit ſummo conſenſu& applauſu,& quidem frigidam à frigiditatis prædominio, eam quidam dicunt,ideoque medicamentis,calidis affectibus oppoſitis,eam admiſcent. Frigidam eam à prædominio non eſſe oſtendunt præter inſignem odorem effectus frigido conrrarii,idque indubitatis experimentis & documentis. Experimenti cuiq; via facilis. Quæ odore carent, adeò plerunque obtuſum atq; ignauum habent calorem, vt perpaucas partes extenuare poſſit, quæ in aerem diffundantur, vel adeò ſunt temperata,vt exhalatio olfactum mouere nequeat. In Camphora contraria omnia. Partium tamen in ea diuerſitatem ſapor apertè docet,inter quas quæ odore ſunt præditæ, numero & facultate antecellunt terreas ac frigidas, quę odore euaneſcente atque expirante remanent. Sed de his alibi fuſius. Sufficiat hic, exploratum, licet non omnibus, eſſe, Camphoram ab intima putredine corpus immune conſeruare,aerisq; ambientis contagium potenter diſcutere.

Puluis pro ſuffimento quouis loco & tempore vtilis ſuper carbones candentes proiectus.

RECipiatur thuris vncia vna: corticum citri vncia ſemis: garyophyllorum,cinna-

momi, macis, ligni aloes, ſantali citrini, ſingulorum drachma vna & ſemis. galliæ moſchatæ drachmæ 4. laudani drachmæ quinq;, roſarum rubearum drachmæ duæ, thymi ſcrupuli duo, camphoræ grana quinque fiat puluis: ditiores poſſunt addere moſchi grana 5. euadetq; pretioſior & fragrantior.

Trociſci pro ſuffitu ſuauiſſimi odoris.

Corroborant cerebrum & cordialia mirabiliter.

RECipiantur Benzoini drachmæ 6. ligni aloes drachmæ iij. moſchi ſcrupulus ſemis, ambræ grana 4. camphoræ grana iij. ſacchari candidiſſimi libra ſemis: fiant paſtilli, rotulæ ſeu trociſci, qui in particulas fracti proiiciantur ſuper carbones candentes, cœnaculumque vel cubiculum ſæpius in die iis ſuffumigetur.

Candelæ pro fumo.

Eundem in ſuffiendo præſtant vſum candelulæ, quæ recipiunt laudani ſinceri vnciam ſemis, Styracis calamitæ, myrrhæ, maſtichis ſingul. drachmas iij. roriſmarini, roſarum rubearũ, thymi, ſing. drachmas ij. macis, ciñamomi, garyophylorum, ſantali citrini, ſpicænardi, ſing. ſcrupulum: carbonum ligni ſalicis vncias ij. Vel Recipiantur benzoini vncia ſemis, Styracis calamitæ vnciæ ij. Carbonum ſalicis vnciæ iij. pulueris garyophyllorum vncia ſemis. Piſtentur omnia cum gummi tragacantho, & aqua roſarum, fiantq; candelæ: ditiores addant camphoram, moſchum, ambram. Ad

Ad eundem quoq; vſum formantur globuli ſeu poma ambræ, quæ manibus geſtata, præſertim cum per loca ſuſpecta vel infecta maleq; olentia, eſt eundum, cor eiuſq; ſpiritus inſigniter recreāt, noxioſq; vapores repellunt atq; diſcutiunt, recipiuntq; laudani vncias quinque, Styracis calamitæ drachmas 2. gallæ moſchatæ drachmam vnam cum ſemiſſe, ligni aloes, roſarum rubearum, corticum citri, ſuccini, coriandri, ſantali citrini, ſingul. drachmam ſemis, camphoræ grana quinque, ambræ gr. ij. moſchi gr. j. cum reſina terebinthina, aqua roſata vel ſucco baſiliconis ſufficiente cum inſtillatione pauca aceti roſacei incorporentur in pilā. Qui impendio non parcunt, poſſunt addere Zibetti gr. iij. ambræq; gr. v. *Poma ambræ.*

Sed qui tenuioris ſunt fortunæ pomambra ſua conficiant in hunc modum.

Recipiantur laudani drachmæ ij. ſtyracis liquidæ ſcrupulus, myrrhæ drachma, Pulegii, menthæ, ſing. drachma ſemis, roſarum rubearum, maioranæ, garyophyllorum, ſing. drachma, ſantali albi & citrini ſing. drachma ſemis, cum aqua roſarum vel terebinthina redigantur in pilam.

Aliud minus precioſum, ſed bonum.

REcipe radicis enulæ, angelicæ, roſarum, maioranæ, roriſmarini, ſaluiæ, ruthæ,

lauendulæ, garyophyllorum, ſing. partes æquales, contuſa omnia redigantur in pilam adiectis camphoræ granis 4. vel tribus, hocque modo poſſunt vno labore plura concinnari poma, pluribuſq; communicari, manibus inter eundum geſtari, naribuſq; ſæpius admoueri.

Eundem in vſum manibus geſtantur mala citria & arantia, eorumq; cortices manibus cōtrectati vel maſticati oreq; diu detenti mirifice commendantur à priſcis & recentioribus.

Citri contra venena efficacia.

Quid veteres de malo citrio ſenſerint, eiuſq; efficacia præſentanea aduerſus virus, patet ex Athen. lib. 3. Plinio l. 11. c. 3. Palladio libr. 4. c. 10. Theophraſto de hiſtor. Plant. l. 4. c. 4. Memorabile eſt quod Athenęus de duobus latronibus ſicariis ſcribit, eos ad virulentas beſtias in Aegypto condemnatos eſſe, cumq; ad ſupplicii theatrum, beſtiis virulenta atrocitate efferatis, plenum deducerentur, mulier cauponaria illis obuia, horumq; miſerta, citrium quod manu habebat, illis edendum præbuit, quo comeſto cum illæſi & citra noxam cum draconibus colluctarentur accerſito à præſide carceris pręfecto, ecquid alexipharmaci præbibiſſent vel edißent, percontatus, nihil præter citrium reſpondit. Præſes igitur de viribus citrii certius periculum facturus, alteri tantum de citrio præbuit, cui item beſtiarum virus nihil ob-

Memorabilis hiſtoria.

obfuit, alter vero ab aſpide morſus, quamprimum in theatro concidit, & expirauit. Refert idem, venenis ita citrium eſſe contrarium, vt tritum cum vino, purgatione virium ſuarum bibentes ſeruet. Plinij & Theophraſti temporibus pomum non edebant, ſed veluti theſaurum, teſte eodem, in ſcriniis cum veſtimentis, vt à tinearum corroſione inoffenſæ conſeruarentur, reponebant. Vnde Oppius inquit: Citrinum eſt odoratiſſimum, quod veſti interiectum tineas necat. Semina quoque cum pomorum ſucco contuſa, ac cum vino bibita per ventrem pharmacum deleterium ſumptum exturbant.

Citri igitur ſemina in hunc vſum diligenter reſeruabuntur. Leuinus Lemnius lib. 4. de occ. miracul. c. 17. citri cortice, ſucco, ſemineq; nihil magis efficax ac præſentaneum ad peſtilentes halitus diſcutiendum, aſſerit, attrito ſc. dentibus ſucculento putamine recens diſſecto, quo vno aduerſus peſtilentis aeris contagium ſe munire eſt ſolitus. Virgilius quoq; id non ſubticuit 2. Georg.

Media fert triſtes ſuccos, tardumq́; ſaporem
Felicis mali, quo non præſentius vllum,
Pocula ſi quando ſæuæ infecere nouercæ,
Auxilium dabit & membris aget atra venena,
Flos apprime tenax: animas & olentia Medi
Ora fouent illo, ac ſenibus medicantur anhelis.

Cottonea mala contra toxica plurimũ valere pauci hactenus fuerunt, qui obſeruarint. Athenæus lib. 3. ex Philarchi ſexto hiſtoriarum libro ſcribit, mala cottonea odore ſuo omniũ deleteriorum vires obtundere. Nam & Pharicum pharmacum, riſco, quod cotonea poſitum emaceſcit, eiuſque vires omnino diſpereunt, manifeſta quadam antipathia. Inciſa alias cumque pulegio comeſta, meliſſa, roſmarino aut betonica eos iuuare in experimentis eſt, qui lethale Scytharum toxicum, quod ex viperina conſtabat ſanie ſanguineque humano, potarant.

Ambientis quoq; aeris contagia potenter diſpellunt maſticata oreque detenta angelica, Zedoaria, quæ citri corticibus parũ cedunt galãga, garyophylli, oſtrutiũ, valeriana, enula, coriandrum, lauri & iuniperi baccæ: his enim & ſimilibus attritis fauces fouere expedit.

Aſperſiones & irrigationes.

Salubre quoq; eſt rebus odoratis & ſuauiter redolentibus, vt aqua roſacea, vino ex Angelica, aceto roſarum, ſambuci, angelicæ vel alio conueniente liquore, vt lauendulæ, maioranæ, hiſſopi, os, nares, oculos, tempora ac manus perfundere atq; irrigare. Sicut & aſperſio talis per cubicula aeris malignitatem emendat, ſuntque frigido aut nubilo cœlo magis ex vſu: nam aer caleſcẽs celerius & promptius in corpora noſtra penetrat, alienaq; qualitate facilius im-

Tempore peſtis aer nimis calẽs vitandus.

lius imbuitur, quam frigidus, teste Auicen. l. 1. de tempestatum varietate.

Curandum igitur ne vehementius incalescat aspersione oxycrati, hoc est, mixtura aceti & aquæ, aceto rosato, salicibusque, nymphea, rosis, ac similibus per cubiculum stratis. *Præcept.*

Olea deniq; & vnguenta odorifera hic præstant, quibus nares, tempota ac manus sunt fouenda atque munienda. Verum quia liquidæ sunt substantiæ, facileque diffluunt, præstat vasculo aureo vel argenteo minutim perforato eiusmodi inclusa habere non tam olfaciendi, quam illinendi gratia. Sequenti autem modo sunt incorporanda. *Olea & vnguenta.*

Recipiantur olei è nucibus moschatis expressi drachmæ ij. vel drachma vna semis, moschi gr. iiij. ambræ gr. iij. Zibetti gr. ij. olei garyophyllorũ vel cinnamomi, guttæ iij. cum aqua rosarum vel lauendulæ redigantur in vnguenti vel linimenti consistentiam.

Multis hoc in vsu esse scio præsertim vero nobilibus fœminis, aliisq; qui impendio non parcunt. Præstat autem gratissimum odorem, quo spiritus sensibiliter refocillantur, tum animales, qui in cerebro, tum vitales, qui in corde habent præcipuam sedem. His addi possunt preciosa balsama, vt cinnamomi, garyophyllorum, impendiosis in sequenti vsu.

Aliud

Aliud vilius.

REcipiaturoleieÌ nucibus moſchatis expreſſi drachma vna & ſemis, olei hyſſopi, vel thymi, guttæ viij. olei terebinthinæ gut. ij. camphoræ grana iiij. cum pauca aqua roſarum fiat incorporatio in formam vnguenti. Loco olei moſchati ſumi poteſt oleum roſarum cumque prædictis commiſceri, ſed aucta camphoræ quantitate.

Faſciculi odoriferi. Probantur etiam olfactoria, hoc eſt, faſciculi florum vel herbarum olfactus gratia concinnati ex roriſmarino, ſerpillo, maiorana, pulegio, baſilicone, hiſſopo, floribus garyophyllaceis, quorum vſus apud nos frequens eſt ac bonitate ſuauitateq; comprobatus. Horum farraginem eleganter norunt faſciare filiæfamilias. Ad extremum ſciendum non quemuis grauem ac fœdum odorem noxiam inferre, putredinemque inducere, ſed inter hos eſſe qui contagia diſcutiant & putridis morbis obſiſtant, vt caſtorium, ſagapenum, galbanum, aſa fœtida, ſulphur, puluis bombardicus, corij, cornuq; ſuffimen.

Harum enim rerum euaporatio, quia ad ſiccitatem vergit, putredinem non gignit, quæ à calido & humido eſt. Itaque commode vſurpantur in conſtitutione aeris humidiore & tepida.

Hactenus

Hactenus de suffitibus & odoramentis aerem alterantibus: sequuntur amuleta & periapta.

NEc vero satis est sic emendasse aerem, sed tum admotis, tum intus sumptis principes partes sunt roborandæ, vt venenatæ auræ facilius atq; alacrius resistant.

Ea autem, quæ exterius admouentur, de collo vel suspensa, vel alia quacunque ratione adhibita ad venenum amoliendum, amuleta sunt & periapta, quasi circumpendentia seu appensa alexipharmaca. Inter quæ duo maxime ab autoribus probari inuenio: vnum. si ex auellana perforata interior nucleus cum acicula extrahatur, deinde viuo argento repleatur, colloq; suspendatur: mirum enim in modum nos hoc ipso tutos reddi à peste quidam asseuerant. Remedij hoc genus testatur se accepisse Petrus Droetus Medicus Parisiensis à Medico Illustrissimi Domini Vidami Carnutensis, Principis Chabanei: anno 1566. Meminit & huius Marsilius Ficinus. Alterum est arsenicum crystallinum & rubeum, cuius vis in veneno propulsando maxime innotuit cum anno 1564. totam per Germaniam fere pestis grassaretur, de quo abunde disseruit Georg. Agricola l.3. de natura fossilium. Formula remedij talis est. Recipiantur arsenici crystal-

crystallini & rubei singul. partes æquales, reducantur in puluerem, cumque albumine oui vel mucilagine tragacanthi formetur tabella crassitudinis digiti vnius, quæ serico duplici inuoluta, admouebitur regioni cordis, vel sub axillis. Cauendum autem, ne arsenicum madescens exulceret cutem: diligenter ergo locus detergendus est mane, vel alia hora si sudarit æger, alioqui linteum mundum interponatur.

Arcanum. Alij addunt bufonem torrefactum, si venenū actu adsit, tuncque specifica quadam vi è corpore attrahit ad circumferentiam: & hoc medicamentum uon est extra methodum & rationem. Simile enim trahit simile, venenum scilicet simile venenum, in quo etiam abunde πρόνοιαν suam explicauit Deus, cum perniciosa & deleteria vtilitati nostræ inseruire docet, quemadmodū Galenus ex vino viperino demonstrat 11. libr. simplicium, & neoterici experimentum olei scorpionum ad pestilentiam tam felici successu transtulerunt, vt sola huius olei inunctione pestilentis aeris malignitatem auerterint atq; depulerint.

Oleum scorpionis.

Fonticuli. Ambrosius Pareus consulit, vt ægrotos inuisuri curent sibi fieri fonticulum in brachiis & tibiis, quoniam natura per ea loca, quicquid humoris noxij in corpore coaceruatur, expurgari consueuit, illudque relegabit virus, quod alias ad principes partes appulisset.

A qui-

A quibusdam in secretis est vnguentum factum ex succo laserpitij, adipe serpentum venenatorum, & victriolo, si fiat ex his massa lata serico inuoluenda, imponaturque regioni cordis.

Linimenti quoque sequentis vsus, quo regio cordis inungatur, celebratur à quibusdam tanquam arcanum, recipitque succi cardiacæ vnciam vnam, camphoræ drachmam semis, croci scrupulum vnum, cum cera sufficiente fiat linimentum. *Linimentũ cordiale.*

Paratur etiam oleum artificiale pro corde hoc modo: Recipiatur nucis moschatæ vncia vna, garyophyllorum, cinnamomi, singul. vncia semis, saluiæ siccæ vncia vna, amygdalarum vnciæ ij. fiat puluis, quem irrora aqua vitæ, exprime ac vtere: nares, tempora, regionemque cordis eo inungendo, mane vt plurimum. *Oleum cordiale expressum.*

Amuleti seu purpureæ sindoni quoque vicem præbet sequens puluis serico insutus, colloq; appensus vel alligatus regioni cordis, recipitque radicis iridis, mastichis, garyophyllorum, macis, nucis moschatæ, cinnamomi, ligni aloes, santali, citrini rosarum, florum nymphеæ, violarum, sing. drachmas ij. camphoræ, benzoini, sing. drachmam semis, moschi gr. iiij. fiat puluis. *Puluis cordialis, serico applicandus.*

Salubriter quoque collo alligantur radices *Radices.*

petasitis,

petaſitis, Angelicæ, Valerianæ, oſtrutij, &c ſunt autem leuiter deradendæ prius, acetoq; intingendæ. Cor à veneno præſeruant.

Gemmæ.

In alexicacorum ſiue amuletorum quoque cenſu habentur lapilli pretioſi ſeu gemmæ, quę occulta virtute atq; effectu, abditaq; proprietate veneno obſiſtere creduntur, vt, ſi quis hiacynthum geſtet collo, adamantem ſiniſtro brachio, Sapphyrum digito annulari, ſmaragdum vel hiacynthum indice, turcoſiam, rubinum annulari vel auriculari ſeu minimo. Præ cęteris tamen auro gemmiſque decorandum antiquitas cenſuit Medicum ſiue annularem digitum, quod tenuiſſimus quidam arterię ductus non nerui, vt Gellius putauit, à corde ad hunc digitum extendatur, cuius motus in parturiẽtibus ac delaſſatis, omnibuſq; cordis affectibus indicis attactu manifeſte percipitur, animique defectu collapſi vellicato eo eriguntur, propterea, quod vis quædam refocillatrix, quæ illi eſt inſita, per hunc ad cor dimanat vitæq; fontem, vt voluit Lemnius l. 2. de occ. mirac. c. 11. Verum autem id in omni leipothymia non eſſe, ex leipothymię ſpeciebus cauſarumq; varietate patet manifeſte, ſed in illa tantum, in qua ſpiritus vitales intro coguntur, & quaſi ſuffocantur, vel ab animi motibus vehementioribus, vel à craſſis humoribus exiguos meatus obſtruentibus, reſpirationemque prohibentibus,

Annularis digitus cur præ cæteris auro cõdecorandus.

bus, vel à tumore quodam præter naturam in pericardio: tunc enim collapſos, animiq; deliquio proſtratos vellicatio annularis articulo, cum croci attritu ſe erexiſſe vidi, propterea quod, moto digito vna moueatur arteriola & cor, cui is digitus mediante arteria eſt connexus.

Verum enimvero, non prætereunda hic eſt grauiſſima inter grauiſſimos authores agitata quæſtio, an amuletis ſit habenda fides, an nitantur ratione, ſeu an inueniantur remedia, quæ ſpecifica & occulta virtute venenis ita aduerſentur, vt ea vel ad ſe magnetis inſtar attrahant, vel alternando hebetent & extinguãt? Sunt, inter quos eſt Thomas Eraſtus Medicus & Philoſophus inſignis, qui falſum & nugatorium eſſe ainnt, fabuloſum, & ſuperſtitioſum, imo homine Chriſtiano indigum, naturalibus ſenſuque & ratione cognitis medicamentis ſpretis occulta, & incognita adhibere pharmaca, quæ ſpecifica virtute, id eſt, occulta totius ſubſtantiæ proprietate agant, morbiſque aduerſentur. Rationes quibus innituntur præcipuæ ſunt. I. Quod intemperies per alterationem ſolam à contrariis qualitatibus introductam ad priſtinam temperaturam poſſit reuocari, vt quod calefactum eſt refrigerari poſtulat, & contra, non abditis illis ſubſtantiæ totius potentiis, quæ realem altera-

Quæſtio cõtrouerſa.

tionem inducere sine medij mutatione nõ valent, quia nullis vtuntur temperamenti qualitatibus in agendo, ideoq; nec calefacere nec frigefacere possunt. Erudite hæc & fusius disputat Erastus disputat.22. II. Quod pro superstitiosis & imprudentibus semper habiti sint, qui periapta, periammata, apotropæa, & amuleta, morbis propulsandis, aliisque malis auertendis adhibuerunt: qui characteres, & sigilla, imagines & laminas annulosq; ex diuersis metallis, ex cornu bubuli, aut alcis conflatos, gemmas, radices, animalcula viua, ranas, pisciculos, cancros, araneas, aliaque collo vel aliis partibus alligarunt, cum characteres & sigilla, nec rerum sint formæ, nec formarum potestates, nec primæ qualitates, nec temperamenta, nec omnino principia effectricia: nihilque aliud sint quam ordo & compositio, quæ in superficie tantũ hæreant intemperiemque non mutent, naturales vero potentiæ per corporis fundum sint diffusæ. Itaque concludunt, si iuuent aliquando, dæmonum virtute iuuare, quod tamen iuuamen neque Deo neq; angelo bono asscribendum sit, cum Deus naturalibus vti pharmacis iubeat. III. Adducunt autoritatem Plutarchi in vita Periclis scribentis, Theophrastum iudicasse Periclem mente grauissime affectum, quod tantam in se stultitiam admisisset, vt amuletum sibi alligari passus

paſſus fuiſſet. Et eundem allegant Theophra-ſtũ de hiſtor. Plantarum 10.c.21. multa quidem recenſentẽ eiuſmodi Periapta, ea tamen vt vana & ſuperſtitioſa deridentem. Nec non Galenum, quod is occultas & formales potentias nullas, præter temperamentũ agnouerit. Hæc ſunt præcipua robora ſententiæ negantis.

Affirmatiua defenditur, priorque partim vt erronea reiicitur, partim illi conciliatur.

VErum accuratius omnia trutinans, inq; intimos profundoſque naturæ receſſus atque latebras ſe demittens, rem longe ſe aliter habere comperiet. Omnibus & cunctis vniuerſi rebus congenitam eſſe inter ſe conſortij aut diſſidij proprietatem, qua citra viſibilem contactum mutuo afficiuntur atq; alterantur; àque latente virtute operationem ſeu actionem manare, qui negat, rerum omnium vel inſcientiſſimus eſt vel fatuus. Videmus aperte, plantas, radices, lapides, & aſtra diuina quadã conſortij ſympathiaſq; lege inter ſe conſpirare, quod nõ aliunde accidere Plato in Tim. docet, quã quod cuilibet rerũ ſpeciei peculiare aſtrũ vt polus Magneti, & proprius cuilibet homini genius à diuina mente ſit conſecratus.

Nemo id inficiabitur, qui ferreum compaſti perpendiculum magnete in nautica pyxide,

vulgo Compaß/ (cuius obtutu atque obſeruatione naucleris velificatio perficitur) confricatum, ſeptentrionali polo continenter ſe opponere atq; obuertere, obſeruauit.

Heliotropij, cichoreæ maluæq; flores motui ſe ſolis accommodare.

Lupinum quotidie cum ſole circumagi, agricolíſq; nubilo etiam cœlo horas monſtrare: Pulegium ipſo brumali die pleiadibus occiduis in coronariis florere.

Herbas quaſdã propriis corporis membris & partibus auxiliari, vireſq; ſuas peculiari effectu in apertum proferre: ſic capiti ſympathetica ſunt roſmarinus, maiorana, betonica, peonia, elleborus niger. Spleni lingua ceruina, &c.

Gemmas terra vel mari erutas, vel animantium corporibus exemtas ſingulari vi ac facultate pollere, occultam quandam vim expirare, eamq; in corpora geſtantium exerere, idq; non abdita ſolum occultaq; proprietate, quã ab aſtris volente Marſilio, conſequuntur, ſed ab emanante virtute, effluxuq; quodam latente.

Harum abſtruſarum qualitatum & virium inq; naturæ maieſtate penitus occultarum inueſtigatio multorum ingenia anxie torſit, nec ratione aliqua euidente expedire ſe potuerũt, ingenue fatentes multas occultas & admirandas edi actiones ex antipathia & ſympathia rerum naturalium, quarum ratio reddi nõ facile po-

cile poteſt,ita vt effectus quidem cõſpiciatur, cauſa vero ignoretur. Itaque in hoc myſterio noſſe expedit roſam cœli,pleiades terreſtres.

His igitur ita poſitis cum ex actionibus potentiæ dignoſcantur, (qui enim poſſet aliquis de potentia aliqua ſuſpicari, ſi non eam actio proderet) amuletorumq; appenſionib. actiones certas editas, multoſq; à peſte aliiſq; morbis præſeruatos fuiſſe & liberatos,experientia, hoc eſt,obſeruatio &memoria rei eiuſdem eodem modo ſæpius factæ,teſtetur, non quidem ſuperſtitioſa quadã credulitate & delira inanique quacunque religione, qua homo dicit vel facit boni conſequendi,vel mali cuiuſpiam vitandi cauſa,ꝙ vim nullã neq; naturalem, neq; preternaturalẽ ad effectum intentum obtinet, ſed operatione mere naturali, atque naturali cauſa,quamuis latente & abſcondita,ꝓducta. *Experientia quid?*

Amuletis igitur,quę ratione nituntur naturali,fides deroganda omnis non eſt, cum eorũ operatio à totius ſubſtantiæ proprietate procedat,h.e.ab omnibus ſubſtantiæ viribus,non enim, NB.materia agit ſeorſim,non forma,nõ craſis elementaria, ſed agunt in vnione per contemperationem coeuntium elementorum facta, vt ita tota ſubſtantia aliud nihil ſit, quam conſpiratio quædam omnium ſubſtantiæ virium ad effectum eundem illiſq; conſentaneum producendum. *N. quid ſit totius ſubſtantiæ actio?* *Tota ſubſtantia quid?*

Quare abſurde vnum ex impoſſibilibus ſtatuitur, appenſa ſeu foris admota internos morbos alterando non pellere, niſi cutim etiam ſenſibiliter prius alteret: Nam ſpiritales eiuſmodi rerum qualitates, modo nobis incognito ſic agunt, vt effectus earum in rebus etiam diſſitis animaduertatur, nulla interim ſenſibili mutatione in medio facta: reales vero ſeu corporeæ poteſtates non agunt in res remotas ſine alterato medio, harumque effectiones remanere ipſis abeuntibus cernimus, illis vero recedentibus nihil relinqui videmus, hæ, id eſt, reales temperamenta rerum immutant ſenſibiliter, illæ non item: quia ab occulta rerũ proprietate dependent, nempe ex cœleſti influentia ac impreſſione pro vniuſcuiuſque ſpeciei indiuiduique conſtitutione: vnde animalia, mineralia & vegetabilia ratione ſpecificæ indiuidualiſq; cõſtitutionis, in generatione illorũ cœlitus virtute aliqua imbui, extra dubiũ eſt, aliis reb. adeo contraria, vt illarũ operationes ſiſtat ac liget, vnde phyſica Ligatura originẽ habet & nomen. Sic pſentia adamantis & alij, magnetis actiones ne ferrũ attrahat, & oleũ, ne ſuccinum paleas alliciat, obſiſtit & ligat.

Alyſo, hypericoni & molij herbis, tantam ineſſe contra malignos ſpiritus efficaciam, vt quemadmodum luporum capita januis affixa, ſic has herbas in ædibus ſuſpenſas ab hominib. & pecore

&,pecore veneficia, ne faſcinentur, arcere, graues tradant authores, & inter alios Plin. l. 28. c. 10. Dioſc. l. 3. c. 37. Homer. Odyſſ. 10. & 11. Proinde his periaptis & amuletis, quæ ſcil. naturali nituntur ratione, nõ omnis plane fides eſt deroganda, cum ex magia naturali, quæ inferiorum ac cœleſtium ſympathiæ antipathiæque, hoc eſt, abditarum in natura rerũ, abſq; vlla ſuperſtitione incantationiſq; verbis, exploratio eſt, promanent, quas vires rerum didiciſſe atq; nouiſſe, ſapientia eſt diuinæ legi non contraria. De harũ enim ſubſtãtia vaporũ defluuia inſpirata vires corporis reficere, internamq; morbi cauſam alterare poſſunt, impediendo vel auferendo diſpoſitiones noxias. Sic contacta tridẽte torpedine marina piſcatoris manus videmus obſtupeſcere, Echneidaq; piſciculũ, quãuis velocẽ ventorũ procella agitatæ nauis curſum ſiſtere, melanthij ſemẽ catarrho, radicem Peoniæ albæ epilepſiæ, ſtercus lupi alligatũ colicis mederi experimur, non quidẽ incantationis viribus, ſed quod ab illorũ ſubſtãtia tenues vapores quidã aridi, minimeq; vaporoſi, velut atomi defluant, qui inſpirati cerebrũ ſiccent, morbiq; cauſam ſuis viribus alterẽt. Vnde Galen. experientia edoctus, 6. & 10. de ſimpl. medicã. Periaptis, inqt, ſic confidere oportet, vt ſubſtãtia illorũ, nũ incantationis verba iuuare credantur. Et idẽ lib. 1. de pot. nat. c. 14. explicatiſſimis ver-

mis verbis affirmat, inueniri pharmaca, quæ venena certa, non quælibet, magnetis instar ad se attrahant, eaq; super ipsis Pharmacis reperta ac visa. Idem filis, quibus vipera fuit strangulata, Iaspidi viridi, stercori lupino aliisq; nonnullis vires inesse tradidit, quibus alligata certos morbos sanent, iactatque non audita, sed propriam experientiam. Atque hæc Galeni loca neganti parti repono. Et si testimoniis certandum esset, votaque colligenda pro sententia affirmante, tempus & charta me deficerent in illis annumerandis. Proferam tamen quædam non incertæ fidei.

Plinius lib. 25. c. 9. cyclamini radicem vocat amuletum. Et cap. sequenti Polemoniæ radicem aduersari Scorpionibus vel alligaram tantum, tradit. Succinum infantibus amuleti ratione alligatum prodesse scribit, l. 37. c. 3. additque, Callistratum tradere, cuicunque ætati contra lympsationes & furorem seu insaniam, vrinæque difficultates potum alligatumque auxilio esse, & chryselectrum collo alligato mederi febribus. Artemisiam gestatam, alligatamque aduersus mala medicamenta bestiasque virulentas efficacem esse: antirrhino vero perunctos, vel in brachiali id habentes nullo malo medicamento lædi idem Plinius l. 25. c. c. 10, aristolochiam alligatã capitis mederi dolorib. c. 11. eandem vero supra focũ suspensam

serpen-

serpentes è domibus fugare cap. 10. Sideritin tantam habere vim, vt recenti gladiatoris vulneri alligata sanguinem manantem illico claudat, l. 26. cap. 13. Absinthium Ponticum secum habentes intertriginibus non tentari c. 8. in fine: Pulegium qui ieiunus id legerit, & post se alligauerit, inguinis dolores prohibere, aut sedare cœptos: argemonem vero manu tantum detentam inguinibus prodesse cap. 9. Sideritin varices minuere sine dolore, cap. 10. vbi quoq; mentionem facit, quod Theophrastus tradidit, septuageno coitu durasse libidinem contactu herbæ cuiusdam, cuius nomen speciemq; non posuit, autor alioqui grauis: aizoum siue sedum panno nigro inuolutum, ac ignorantis puluino subiectum morbosæ vigiliæ auxiliari, capit. 11. buglossi inarescẽtis, medulla è caule exemtâ 7. folia ante accessionem scienti febricitanti alligata à febri eum liberare: quinque folii vero folia terna tertianis, quaterna quartanis, quina quintanis, & plura cæteris dari, idem ibidem autor est. NB.

Sed in pueris epilepticis alligata Peoniâ nihil fere frequentius est ad morbum ipsum vel expugnandum, vel eius insultum præcauendũ, vel etiam collapsos erigendum. Semini quoq; eius, præsertim à Peonia mascula prima fœtura emergenti, eadem vis inest, sicut & cranio humano, ossibusque, necnon coruis combustis,

ciconiis, hirundinibus, vngulæ alcis, & similibus, quæ specifica magis occultaq; vi ac latente virtute huic morbo aduersari, quam elementari qualitate deprehenduntur.

Leuinus Lemnius de occ. naturæ mirac. l. 2. c. 3. celebrat præsentaneam aduersus Comitialem morbum, vngulæ alcis vim, multisq; experimentis eam comprobatam se habere dicit, licet ratio ipsi visa sit obscurior, narratque semel atq; iterum sibi accidisse, vt muliercula quædã in ædium suarum vestibulo, tanquam fulmine icta conciderit, quod vbi esset conspicatus, accesserit propius, annulique gestamen, cui alcis particula erat inserta, digito infirmo proximo intulerit, illa vero cõtinuo in pedes se erexerit, potuq; refocillata iter inceptum alacriter peregerit.

Meminit & alterius cuiusdam pro foribus insolito edito clamore derepentè in terram concidentis soloque caput illidentis, cui vnus ex familiaribus alcis partem palmæ imposuit, manuque in pugnum complicata morbum confestim depulit. Talia autem fieri affirmat specifica abditaq; proprietate, vel quod eximia quædam discutiendi exiccandiq; vi, vt Peonia, polleat, quæ per effluxum emanet.

Porrò Peoniæ albæ seu masculæ radices collo appensæ amuleti instar, Galenus 6. Simplic. & post eum Thadæus, crebrò repetito experimen-

men-

mento, epilepticis mederi compererunt. Proinde rectè Iacobus Syluius Parisiensis inquit, Peoniæ maris radix alba, oblonga contra Epilepsian & melancholian recens collo appensa iuuat magis quam fœminæ radix. Eandem inter amuleta refert Manardus l. 13. Epist. 6. eandem epilepticos ex proprietate specifica iuuare Ioh. Baptista Epist. 65. testatur, pluresq; alii, quos recensere nimis foret longum & extra etiam propositum. Vide quoq; Diosc. l. 3. c. 149. Theophrast. l. 9. c. 9. Lang. epist. 74. vbi peoniæ maris & fœminæ discrimen indicatur.

Sed vnum hoc pro specificarum occultarumque qualitatum demonstratione silentio prætereundem non est, quod veteres Romani & Græci in emendis seruis adeo fuerunt soliciti (in quibus conducendis hodiè nihil pensi habetur, præsertim vero in procerum aulis, vbi sine vllo discrimine conducuntur nulla inquisitione habita, cuias sit, vlcerosus ne, an aliquo per temporis interualla morbo sontico laboret, quo fit, vt alter alterum sæpè sua contagione, & lectisternia & stragula coinquinet) vt, si venditor vel seruus morbum celasset epilepticum, non deessent illis experimenta & suffitus, quibus morbum explorarent. Accensis enim inquit Plinius lib. 8. cap. 32. & l. 36. cap. 19. Item Diosc. lib. 5. vtrislibet ceruorũ cornibus, odore fugantur serpentes, & gagatis suffitu comitiales deprehenduntur morbi. Vnde præter Plinium

In conducendis seruis procerũ incuria.

& Diosc. Apuleius in prima defensione, mirum esse refert, incensum lapidem gagatem comitialem morbum facilè explorare, cuius, inquit, odore etiam venalitiarii & mangones vulgo sanitatem aut morbum venalium experiuntur. Galenus de remediis Euporistis, id est facile parabilibus scribit, lapidem gagaten, vt cognoscatur si quis est epilepticus, incẽde, hominemq; ne odor dispergatur, stragulis circumdato, tum si morbo huic est obnoxius, cadet. Succini quoque candidi suffitu, quod mirabile est, fumo sc. per nares attracto, ab Epilepsia & apoplexia homines præseruari, erigiq; quidam habẽt in secretis, cum potius paroxysmum accelerare debeat, epilepsianque deprehendere, quoniam ex glutinoso in terræ visceribus bitumine in Oceano septentrionali nascitur, cuius nidorem epilepsian redarguere Plinius l. 35. c. 15. testis est. Hos sanè effectus plus prodire à tota substantia quam qualitatibus manifestis, nemo est qui negabit, nisi experientiam cum autoritate explosurus. Quapropter frustra occultæ vires specificæq; virtutes exsibilantur ideo, quod sensibiliter non alterent intemperiemque sanent, vel tollant, medium quoque vt cutem, non mutent, quia, inquiunt, fieri nulla vi naturali potest, vt res aliqua cuti admota sensibiliter calefaciat aut frigefaciat interiora, cute non prius eadem qualitate mutata.

Suffitu gagatis epileptici deprehendũtur.

Quasi

Quaſi vero plurima non reperiantur, quæ ex profundo humores ad cutem trahant inſenſibiliter, id eſt modo efficiendi non vtique manifeſto, cum in multis inſit virtus tractrix, vt in magnete. Nam propterea dicuntur abſtruſæ, formales, ſpecificæ, latentes, abditæ, quia formam ſubſtantiæ neceſſario comitantur, vnde & ſubſtantiales proprietates & formales appellantur, ad differentiam materialium, quæ materiæ & temperamenti propriæ qualitates ſunt.

Ad extremum, quoniam ſupra annulorum quoque facta eſt mentio, qui ex auro, argento aut quouis metallo, ſtellæ, cuius virtutem quis ſibi conciliare cupit, dedicato, confecti, defixo in annuli cauitatem cum ſubiecta herba huic ſtellæ appropriata, lapide animum exhilarare creduntur, morboſq; profligare ac cacodæmones; ſciendum eſt, non plane fabuloſum eſſe & commentitium, quod iis ita confectis attribuitur, ſed præter experientiam graues autores id tradere, Trallianum, Gordonium, Meſuen, Thebith Philoſophum & Albertum l. 2. mineral. tract. 3. c. 1. & 3. Eudemus quoque Philoſophus annulos contra ſerpentum morſus, faſcinationes & morbos confeciſſe traditur. Teſtatur Ioſephus l. 8. antiq. c. 2. ſe, præſente Veſpaſiano Imper. vidiſſe, Eleazarum Hebræum, naribus cuiuſdam obſeſſi annulum, cuius ſignaculo radix à Salomone repta erat ſubdita,

ap-

applicuiſſe, dæmonemq; de naribus odorantis extraxiſſe, qui cum repentè in terram concidiſſet, Eleazar coniurationis Salomonis cantico dæmonium proſcripſit. Idem tradit Salomonem & Moſen Magiæ fuiſſe peritiſſimos, Moſenq; in Ægypto magiæ initiatum annulos amoris & obliuionis confeciſſe. Eandem quoq; calluiſſe Pythagoram, Empedoclem, Platonem & Democritum conſtat. De Moſe hæc Ioſephus lib. 8. antiquit. cap. 2. Euſebius de præparat. Euangel. contra Appionem in act. Apoſt. cap. 7. Plinius lib. 3. cap. 1. Non vero putandum eſt fallaci dæmonum ac ſuperſtitioſæ Magiæ eos fuiſſe addictos, quod idem Ioſephus argutiſſimè contra Apollonium & Lyſimachum, qui iſtius impietatis Moſen arguebant, probat: ſic autore eodem, Salomon tantum ab illa abfuiſſe dicitur, vt Deus ei virtutem præſtiterit & artem contra dæmones, quâ hominum morbos mitigaret. Vnde dæmoniorum, qui homines morbis affligebant, exorciſmi inuentio Salomoni accepta refertur. Tantum de amuletis.

Hactenus de aere primo præſidio diætetico, ſequitur de cibo & potu proximum ab aere locum vendicantibus.

In

IN præſeruatione quoad cibum notandum minuendum eum eſſe, ſi corpus eſt repletum, augendum vero, ſi inanitum, non quidem ciborum multiplici varietate, qua perniciosius peſtis præſertim tempore nihil eſt, cum cruditates inde coacerventur, putredineſq; accendantur, ſed eiuſmodi cibis, qui, Auicenn. teſte prima 4. tract. 4. c. 4. refrigerent, deſiccent, putrediniq; obſiſtant, vt ſunt acidi vtplurimum & ſubamari: Item qui facilè conſici inq; corporis alimoniam verti poſſunt, vt ſunt oua ſorbilia recentia, carnes vitulinæ, hœdinæ, veruecinæ, leporinæ, cuniculi auicularum, anatum fluuiatilium, anſerum, gallinarum, columbarum, perdicum, &c. Et ex his aſſæ præſtant elixis, niſi corpus ſit ſiccum & aridum, tunc enim hæ illis anteponuntur.

Ex piſcibus probantur ſaxatiles, littorales, quos Galenus valde probat, ſquamigeri, marini, fluuiatiles, parui. Sed præſtat in peſte aeris ijs abſtinere, ſi alia ſint in promtu, niſi enim probe conficiantur prauum ſuccum ſuggerunt. Aſſi tamen aromatiſq; conditi probiores quàm elixi. Lentorem tenacem habentes improbantur.

Ex carne ſuilla celebrantur rictus, aures, pedes, & partes circa poſtremum & medium ſpinæ: Salubrior quoq; aſſa elixa eſt, ſaleq; condita & inueterata melior quam recens, quę humiditatibus & phlegmate abundat.

Itaq;

Censura. Itaq; vanum eſt, quod quidam carnes ſuillas, anatum, anſerumque peſtis tempore vt inſalubres vitandas præcipiunt. Si enim tàm eſſent illi cordati quam forſan ſunt barbati, & tàm veritatis quàm aſſentationis amantes, diuerſorũ cibariorum ingluuiem, viribuſq; & facultatibus pugnantium ingeſtionem magis accuſarent, vnamq; & ſimplicem victus ſpeciem præciperent atq; commendarent.

Simplex namque cibus, ſimplex victus ratio, menſa ſimplex, id eſt plurium diuerſorumque eduliorum ſtrue non opulentata, optima eſt, eaq; nihil ſalubrius, nihil iucundius, adque vitam conſeruandam aptius exiſtit. Galenus lib. 3. de diæt. acutorum. Comment. 57. & alibi. Rhaſis lib. 25. Hippocrates, Auicenna, aliique tum veteres tum recentiores, ciborum illam varietatem vt maximè noxiam damnarunt. Elegans eſt illud Senecæ ad Lucilium, multos morbos fecerunt multa fercula. Vide Plinium l. 11. c. 53. vbi homini cibum vtiliſſimum ait eſſe ſimplicem: Saporum coaceruationem peſtiferam.

Noſtrum ſeculum omnia elemẽta in ventrem coaceruat. Noſtra ætas tanto flagrat gulæ deſiderio, vt, quæ in terra creſcunt, olera & fructus arborum, quæ in aquis, piſcium omne genus: & quæ in aere volitant, vnum in ventrem abſorbeat: quarti vero elementi, hoc eſt ignis loco fortia vina, aromata, raphanos, naſturtia, ſina-

ſinapi,&ita confuſis elementis varias tempeſtates & concuſſiones in toto corpore cieri mirum non eſt,vt catarrhos, ex continuis ſc. vaporibus fluentibus & refluentibus tanquam in euripis.

Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis.

Victus igitur temperantia frugalitateq; validius præſidium nullum eſt,qua Socrates in ſęuiſſima illa totius Græciæ Aſiæq; peſtilentia liber perſtitit & immunis.

Non tamen nimium debet eſſe tenuis victus & paucus,quo corporis vires collabuntur atque debilitantur. Galenus comment.3.l.epid. 3.declaratione 58. particulæ, ſcribit, omnes in peſte illa magna & fere ſolos ſuperſtites manſiſſe, qui ſeipſos ad edendum coegiſſent.Ex quo loco cōſultum fuit ab omnibus medicis,vt ægri viriliter edant. Cum enim in peſte Spiritus maxime diſjiciantur,bonos&nouos ex probo alimento generari neceſſarium eſt, vnde ſalus ægri, quia vires ſic reficiuntur.

Extra quoque ædes ſeu limen nemo prodeat, atq; aeri ſe impaſtus committat atq; jeiunus, facilius enim & promtius contagio afficitur.

Cauendus nimius vſus pinguium,aſſiduitaſq; ciborum iurulentorum,cum nimia ſupernatante pinguedine,hæc enim contagium flammamque prompte concipiunt.

Nam pinguia bilem augent ad febrile incendium exarſionemq; promptiſſimam ſua natura,

Hippocratis & Galeni teſtimonio 7. aphor. 42. & 2. de natur. hum. Id quod expreſſius aſſeruit Hippoc. 4. de morbis, ratione ducta ab humoris conditione: quibuſcunque, inquit, febris incidit, à pinguiori quam oportet humore fit. Caleſcente enim ſanguine, exhalat maxime per hunc humor aquoſus febri infeſtiſſimus, relinquitur autem pinguis & leuis, bilioſus & potiſſimum febris nutrimentum. Copioſius namque & accommodatius alimentum febri bilis ipſa ſuppeditat. Vnde biliosi ſeu bilioſis humoribus ſcatentes febribus etiam plurimum conflictãtur, peſtiſque contagio promtius corripiuntur. Eſt & propter hanc vel maxime cauſam nimius pinguiũ vſus vitãdus, quia pinguia

NB. ægre ſublimantur, humorique ſubiecto pinguedo ſupernatans pelliculam inducit, per quam ſubditus humor vix euaporare valet. Videre eſt id ipſum in vino, aquiſque odoratis, quibus affuſum oleum exhalare earum vires non ſinit.

Curandum autem inprimis eſt, vt omnes cibi vel aceto (cuius vſus omphacio vino inſigniter celebratur) vel acido quodam ſucco cõdiantur, vnde conditura quæ gelatina dicitur, addito aceto commendatur. Lactis quoq; acidi vſus ſalutaris deprehenſus eſt.

Aromatum, vt zinziberis, piperis, vſus ſit paucus & modicus. Piperis tamen grana integra

in

in iure decocta, acido quodam adiecto, non im probantur, sicut & allium, quicquid interim aliis placeat.

Commendantur etiam embammata seu intinctus ex petroselino, saluia, serpillo, satureia, betonica, fœniculo, aneto, scordio, quod hic singulare est, cichorio, buglosso, lactuca, portulaca, endiuia, contritis optime, & cum aceto vel omphacio liquatis. Acetaria quoque ex his saluberrima conflari possunt æstate. De quibus vide tract. meum de vita proroganda. Ex amygdalis quoque bene contritis, addito omphacio vel aceto, aqua rosacea, paucoq; saccharo vtilis & salubris fit intinctus.

Pisces cum oleribus non comedendos præcipiunt graues quidam autores, præcipue Aetius. Hodie non modo nostrates sæpius coniungunt, sed olera etiam, quod deterius est, postponunt, & pisces frixos sæpe addunt, qui vt per se sunt insalubres, ita cum oleribus insaluberrimi. Sic carnes & pisces simul edere pernitiosum est, ob disparem naturam, tum etiam quod dispari tempore digeruntur.

Pisces quoque & lac eadem mensa coniugere pessimum, ventrem enim flatibus distendunt, hoc etiam breui, illi tardius coquuntur, vnde coctum miscetur crudo. Christoph. de Vega l.2.

Quapropter Rusticis, plebeiis, vulgarisque conditionis hominibus, quibus phasiani, turdi, perdicesq;, raro in mensas veniunt, relinquantur simplices escæ ac cibi, quibus lõgo iam tempore ventriculi ipsorum sunt assueti. Ineptiunt igitur qui leguminibus ac oleribus, & id genus aliis consuetis cibis iis interdicunt. Non attendunt isti, quod Hippocrates & Galenus passim inculcant, ab eo, quod consuetum est, non fieri passionem, item, ex frequenti vsu posse acquiri habilitatem, vt, quod noxium est, minus noceat. Exemplo est puella Indica veneno enutrita, anus item Attica.

Hippocrates l. de rat. vict. morbor. acut. sic ratiocinatur, si in sanorum victu consuetudo seruanda est, quanto magis in ægrotantibus, innuens, vt Galenus exponit, ex consuetudinis mutatione plus lædi ægros, quam sanos. Et propterea subdit idem Hipp. malam victus rationem, modo sit familiaris & assueta, tutiorem esse, minusq; lędere, quam si derepente in aliam meliorem eamq; insuetam fieret transmutatio. Idem sentit Hippocrates 1. & 2. aphorism. libro.

Potus deniq; sit vinum clarum, defæcatum, album, odoratum, leue, id est, ad acerbum potius vergens, quam dulce: aqua autem id poterit contemperari plus, minusue iuxta eius & potentiam & anni tempus.

Vina potentia & generosa æstate vitanda,

da, quia calorem augent, ſpirituſque inflammant.

Hieme tamen modicus eorum vſus non improbatur mane cum pane toſto, quanquam à cœna ad ſomnum conciliandum coctionemq; iuuandam à quibuſdam commendentur.

Vinum abſinthites, cinnamomites & ex betonica laudatur, nec non ex baccis Iuniperi, radice angelicæ, enulæ, ſaluia, veronica, & ſimilibus. Ieiuno autem ſtomacho, à balneo ſtatim, corporeq; æſtuante non bibendum. Quapropter naturæ aduerſiſſimũ eſt & inimiciſſimum, diluculo horiſque matutinis vinum bibere largius. Euidentiæ ratio patet. Vinum enim ſic potum, & abſorptum crudum ſtatim ob diſtributionis ſc. celeritatem venarum conceptacula ſubit, cumq; ſanguine miſcetur; vnde ipſi ſanguini primum, (quia raro ſincerum vinum eſt, ſed aliena qualitate vtplurimum imbutum,) infert noxam, caput ferit, animi vigorem hebetat, mentem facit vibrare, inq; ea inordinatos ciet motus ob calidos, quos excitat in ſanguine, vapores, & tandem etiam, longa ſc. continuatione ipſos neruos & articulos infeſtat ſenſibiliter, vnde tremores, articulareſque dolores excitantur.

Peruerſus quorũdam & præcipue in magnatum aulis, mos.

Quare fortia & medicata illa vina præſumto nonnihil edulii parcius bibenda ſunt, vel cum ſolo pane iis macerato & imbuto. Natura

enim, mane paucissimo alimento foueri postulat, ob venas minus dilatatas atq; expeditas, tum ne calor natiuus languescat. A cœna quoq; circa somni tẽpus vinum absinthites haustum commendari iam cœpit.

Cereuisia, pestis tempore, quo pinguior, crassior est ac dulcior, eo pernitiosiorem esse, ratione & experientia compertum habetur, obstruendi enim flatusque generandi vi pollet, ac difficulter concoquitur. Tenuis vero, quæq; sufficientem habet lupulum adiectis herbis conuenientibus, vt absynthio, pulegio, aniso, fœniculo, coriandro, lauri baccis, & similibus, salubrior semper habita est. Porro plura de cereuisia eiusque confectione vide in tract. meo de vita proroganda.

Concinnatur etiam potus ex acerbis pyris vel malis, vinum ex pomis vel pyris vocant, gratissimum sitis condimentum, nec insalubre. Confert etiam plurimum cantharos habere, in quibus vinum vel potus conseruatur, ex ligno iuniperino, lentiscino, vel fraxini fabricatos.

Quib. præter aquę potum nihil est, pane semper tosto nuce moschata confricato eã alterent.

Prae. Sic deniq;, de Auicennæ sententia, bibendum vel potus administrandus, ne quis sitiat, quia sitis corpus accendit, accensumq; à veneno pestilenti calido promtius afficitur, hacque de causa potus calidior improbatur.

Vnde

Vnde ab immodico quoq; & vehemẽtiori motu & corporis & animi cauendum, ne corpus plus iusto incaleſcat. Sic immodica etiam quies vitanda, hac enim perſpiratio impeditur, excrementa coaceruantur, & cruditates accumulantur, cacochymiæ & obſtructiones generantur, natiuuſq; calor conſopitur, &c. Otioſæ fœminæ & ſedentariam degentes vitam hæc nimiæ quietis incommoda experiuntur. Prac.

Eodem modo ſomni & vigiliarum habenda ratio eſt, ne modum excedant, fiantq; præpoſtero ordine & tempore. Immoderatũ ſomnum immodice vacuatum & ieiunum extenuare atque refrigerare, calore ſc. natiuo humoris & partium ſolidarum ſubſtantiam depopulante, teſtatur Hip. contra verò moderatum functiones roborare, humectare mediocriter, coctioneſq; promouere, ac alimentum in vniuerſum corpus diſtribuere, ſenſus omnes alacriores reddere, ſpirituſq; reſtaurare.

In peſte tamen & peſtis tempore plus vigilare quam domire expedit, nam quemadmodum in morſibus virulentis ac venenatis potionibus, ſomno oppreſſi homines grauius affligũtur, promtiuſq; virus vitalia corripit, principeſq; partes, nullo ſcilicet obſtante, facultatibus naturalibus ſegnibus exiſtentibus atque otioſis, nec ad morbum expugnandum ac-

cinctis, oppresso scil. somno corpore, ita etiam, qui peste corripiuntur, si se somno & quieti dedant, (quod præsertim ante phlebotomiam & 6. hor. post fieri nulla ratione debet) plerunq; enim somnolenti sunt, citius inficiuntur, natura sc. segnius contagio resistenti: quocirca præstat vigiles eos persistere, atq; morbi insultibus alacriter reluctari, & sic tandem eluctari.

Ad extremum non parum in præseruatione momenti habet, mente esse hilari, ac serena, à curis & sollicitudine esse vacuum, mutuisque & suauibus amicorum ac familiarium colloquiis se refocillare, quin etiam honestis ac liberalibus ludis exercitiisq; indulgere. Cicero sæpe optabat, cum scriberet ad Atticum, vnam deambulatiunculam, quam vno regno potiorem dixit.

Quemadmodum enim in lætitia cor quasi dilatatur & explicatur ob grati obiecti præsentiam illud intra se velut amplectens, sic in tristitia cor percutitur, constringitur, premitur, tremit ob imminentis vel futuri mali expectationem, opinionemq;, vnde diu tristitia perseuerante cor torresit & extinguitur.

Hactenus præsidium diæteticum, sequitur Chirurgicum.

ID vero perficitur vel sectione venæ, vel hirudinibus vel cucurbitulis scarificatis, vel fonticulis & vesicantibus.

Phle-

Phlebotomia ex media vena dextri cubiti facienda eſt his qui aſſueti ſunt, & quidem toties quoties conſueuere: iis vero qui non aſſueuere, antequam ad loca infecta deueniant, vel in locis infectis ſuſpectiſque agant, tundenda vena eſt, nulla interpoſita mora. Præſtat autem modice primum ſanguinem mittere, & iterato interdum eodem, interdum altero die, (niſi cum ad animi vſque deliquium vacuare conuenit) vt neceſſitate vrgente, peſte ſc. actu corripiente, iterum extrahi poſſit.

N de præſidio chirurgico remitto Lectorem ad quæſtiones ſupra deciſas.

Verum, temperatura, vires, conſuetudo, anni tempus, diligenter hic perpendenda ſunt, ac ſecundum hæc decernenda Phlebotomia eſt, vel diſſuadenda.

Sanguis quibus, quantũ, & quãdo mittendus. Et an phlebotomia purgãtibus ſit præmittenda pharmacis?

In Plethora, hoc eſt ſanguinis abundantia, omnique venarum repletione, quæ cognoſcitur ex muſculis diſtentis, venis amplis, turgentibuſque cum grauitatis, tenſionis ac caliditatis ſenſu, modice gracilibus, nec tenera carne facileque tranſpirabili præditis, ſecandam venam eſſe vnanimi conſenſu præcipiunt omnes, & quidem protinus, quia periculum eſt, ne diſtenta vaſa dehiſcant aut diſrumpantur, vnde partium oriuntur inflammationes, vel ne oborta vniuerſalis obſtructio inſitum calorem reſtinguat vireſq; validas alioqui ſtrangulet. Vena vero ſecta, pericula hæc vitantur, reſeratis ſcil. arctioribus viis & ſpiraculis, caloreq; natiuo libera-

talius ventilato, putredine prohibētur, corpusq; graui pondere leuatum alacrius redditur ad omnis generis functiones.

In omni igitur impura plenitudine & repletione venosi generis, si primum incisa vena corpus euacuatum fuerit, pharmacum postea facilius atq; expeditius noxios humores educet, tum sc. inueniet vias, venasq; ac corporis meatus non ita refertos, nec obstructos, vnde fit, vt vires Pharmaci impeditæ totam corporis molem possint penetrare. Vasis vero sanguine aliisue humoribus repletis, circaq; epar vel mesenterium venis obstructis, pharmacum alui tormina cruciatusq; animiq; deliquia excitabit nō ferenda, venulasq; diuellet. Vnde Hip. in omnibus fere acutis morbis, in quibus humores non turgent, in phlegmone aliisue internis viscerum tumorib. & inflammationibus, habita ætatis & virium ratione, curam à venæ sectione auspicatur. At vero si tantum vnus ex humoribus, vel plures etiam præter sanguinem abūdauerint, vel computruerunt, boniq; sanguinis exigua fuerit substantia, quæque aliorū humorū copia superata sit, ab alui deiectione primū deiectionē molitur. Hæc docentur ab Hipp. 4. acutor. Galeno li. 2. aphorism. 8. & Auicēna quarta primi ca. 4. & 5. Idem quoq; Galen. fidissimus Hipp. interpres l. de medicina facile parabili in cura coxēdicum doloris seu Ischiadicę passionis in-

Nota, quādo phlebotomia, quādo Pharmacum purgans conducat?

inquit, ſi multus fuerit infeſtans humor, purgatione primum opus erit humoris affligentis: ſi vero plethoricum fuerit corpus, primũ omnium ſuſcipienda eſt phlebotomia. Hæc Galenus. Nam ſi huic illa præmitteretur, præſertim validior ſi exiſtat, tum calore tum trahendi facultate humores exagitarẽtur, corpuſq; Plethoricum in grauius adduceretur diſcrimen.

In Plethora igitur pura, quæ ex humorum bonorum conſtat pari portione ac mixtura, ſanguis tutiſſime demitur, & quidem largius. *Plethora pura & impura.*

In impura vero, quæ cacochymiæ particeps, vitioſorumq; humorum in venis abundatia eſt, parcius atque reſtrictus ſanguis mittendus eſt. Vnde Galenus crudorum humorum copia infeſtatos curat detractione pauculi ſanguinis aliquoties vel eodem, vel etiam 2. aut 3. die cum exhibitione melicrati aut oxymelitis.

At NB. vbi eſt efferueſcentis ſanguinis plenitudo ad acutiſſimam febrim accendendam diſpoſiti, vel actu eam accendentis ſubito ac ſimul ad animi etiam vſq; deliquiũ euacuat, ſanguinemq; mittit, virium tamẽ obſeruato robore, pulſuumq; alteratione, ne ſcilicet fluente ſanguine nobis nõ aduertentibus pro deliquio animi ſuccedat mors. Pulſu enim alteraſcẽte in quauis inæqualitate, continuo ſupprimendum eſt. NB.

Quapropter in cacochymia viſceris vitio genita,

genita, vt epatis lienisq; scirrho vel imbecillitate, ictero, hydropisi, vena non recte aperitur, præstantior enim est purgatio: qui vero in venis maioribus continentur vitiosi humores, venæ sectione accommodatius prorumpunt atque euacuantur, ob modo commemoratas causas.

Porro in præseruatione parcius semper sanguis detrahendus, in curatione largius: pro roboris viriumque constitutione, quæ, si validæ permanserint, quod ex pulsu vehementi, æquali & magno cognoscitur, phlebotomia tuto iterari potest. Quare si septuagenariis is adsit, iis secanda etiam vena est. Inscite enim ac imperite annorum numerus à quibusdam attenditur, cum corporis habitudo magis sit considerandа, reperiuntur enim sexagenarii, qui bene sectionē nō tolerāt, & cōtra septuagenarii, qui facile adhuc tolerāt, in quib. sc. præsens pulsus est, ac virium adhuc robustarum præsentia copiosusq; sanguis, vt ostendit Galenus lib. suo de sanguinis missione. Contrario modo dispositis sanguis non adimendus. Eadem ratione & modo, scopoq; ac indicatione 14. annorum etiam pueris vena tuto secari potest, in quibus sc. multus sanguis est congestus, quin & 4. & quinto ætatis anno vtiliter secari venam, præsertim in pleuritide, grauioribusque morbis, ad vncias duas iij. vel 4. sanguinis emittendo, Mart. Rulandus l. de Phlebot. testatur: quod tamen hodie

Incorruptum viriū robustarum signum.
Censura.
N B.

die multis videtur abſurdum, & inueniuntur medici quidã adulantes & adblandientes, qui id vt periculoſum diſſuadeant, cum tamen conſcientia propria conuicti tacite rem aliter fieri poſſe & ſe habere fateantur.

Quidam ſingulis menſibus venam ſibi aperiri curant, ſed parum inde ſanguinis exire permittunt. Verum copioſum eſſe ſanguinem in ijs neceſſe eſt, nec non cõſuetudinem frequenter mittendi, quibus accedit aeris conſtitutio calidior, & victus liberalior. Quidã vna vice ad vncias ſex emittunt, alii plus, alij minus pro medici ſc. prudẽtis conſilio: barbætonſorũ enim ac chirurgorum imperitorum ſcalpello impoſtorio, quo tyrannide quaſi quadam in hominum corpora ſecando graſſantur, minime eſt fidendum, de quibus plura in tractatu germanico. Copioſius quoque mittendus ſanguis vere eſt, quam autumno, æſtate, quam hieme.

In præſeruatione deniq; quidam aperiendam cenſent medianam cubiti dextri, vel etiam baſilicam cubiti eiuſdem, poſt vero menſem vnum vel alterum in cubito ſiniſtro, & quidem intra annularem & minimum digitum medianã quoq; ieiuno ventre, baſilicã vero à cibo ſumto.

Emiſſi ſanguinis è venis conditio quibus ſc. notis ac ſignis dignoſci poſſit, illum putredini obnoxium eſſe, & per conſequens peſte

infici

infici facile potuisse, è cuius vena talis prodierit?

NB.

OBseruatu hic maxime dignum & necessarium est vnicuique, qui à pestis inuasione immunis & saluus perstare cupit, sanguinis è vena emissi conditionem nouisse ac exploratam habere, ob hanc vel maxime causam, vt scil. dignoscatur, an ex sani hominis adhuc vena emissus corruptioni ac putredini obnoxius sit atq; expositus? Hic vero sciendum primo, laudabilem ac vtilem esse sanguinem, durescentem, ac per summa rubicundum subobscurum, (lucidus enim ardens est) & fibrosum, nec innatante serositate plane destitutum, malus enim talis est atq; retorridus, sicut nimia serositas, potu liberaliore non præcedente, supernatans epatis vel renum imbecillitatem arguit.

Sanguinis boni notæ.

Sanguinis mali & putridi notæ.

Putridus vero vel putredini obnoxius sanguis is est, cuius fibræ corruptæ euanuerunt: dignoscitur autem talis, si refrigescens non durescit, sed plane aquosus permanet, vnde non finditur, sed simulatque attingitur, in exiguas partes simul discerpitur. *Continet enim sanguis fibras quasdam, sine quibus alimentum partibus non apponitur*, vt videre est in his qui ob harum fibrarum penuriam atrophia marcescunt. *Causa est epatis imbecillitas, à quo bene constituto sanguis has fibras contrahit.*

Certissimũ corrupti sanguinis signum.

Sanguis igitur male cohærens, distractus, à

venis

venis graueolens extremę putredinis indiciũ est: maturamq; detractionem is postulat, ne multitudine peccans & qualitate exitialem putredinem interitumque repentinum acceleret. Hactenns de Phlebotomia tempore præseruationis.

Phlebotomiæ, si vires aliaq; eam non admiserint, succedunt cucurbitulæ, expeditissimum præsidii genus minimeq; periculosum. Neq; enim vlla qualitate corpus labefactat, neque vires infringit. Adhibentur autem cum vel sine scarificatione. Sine scarificatione spiritum tantum extrahunt, non etiam sanguinem. Cum scarificatu vero sanguinem proliciunt, & quicquid tenuis fluxique humoris ac spiritus partem circumfundit, inq; cutem irrupit valide ad se rapiunt atq; expurgant, & quidem à locis etiam distantioribus ac remotioribus, si scalpellus altius adigatur, protinusq; cucurbitula applicetur, multo enim potentius caloris sc. atq; flammæ vi trahit, quam scarificatio simplex aut hirudo.

Sanguinem quoq; manifeste exhauriunt sanguisugæ cuti affixæ, & ita quidem, vt interdum scarificationis & phlebotomiæ locum suppleant. Constat ex hæmorrhoidibus tam copiosum eas sanguinem aliquibus euocasse, vt astringentibus & emplasticis medicamentis opus fuerit: quin & puerorum cubito affixæ *Hirudo.*

phle-

phlebotomiam exæquarunt. Famelicæ autẽ applicandæ ſunt, tunc enim tutius ſugunt & auidius & fere continenter, dum ſaturæ turgeſcant ac procidant: aqua tepida locus prius diligenter fouendus eſt tum ob earum frigiditatem, tum etiam vt ſanguis fundatur promtiuſq; egrediatur. Si ceciderint, iterum locus punctus calida fouendus eſt, vt ſanguis diutius effluat, dum vero hærent, pannis calidis circumcirca.

Venenoſitas illarum non obſtat, captæ enim & aſſeruatæ in vitro per crebram aquæ mutationem expurgantur, venenumq; exprimunt. Vſus igitur harum inſignis eſt, cum ætas & alia in morbis phlebotomiam prohibent, ſi venis prominentibus, quas ſecare conueniebat, eæ affigantur, quibus ſublatis confertim profluere ſanguis, non ſecus ac in phlebotomia, plerunq; cernitur.

Pro varia autem ſanguinis ſubſiſtentia variis locis applicari poſſunt, ſicut & cucurbitulæ ſcarificatæ.

Fonticulus. Fonticulus vlcus eſt quod fit à cauſa comburente, vt ferro vel auro candente, in momento enim & abſque doloris ſenſu cruſtam inducit, qua decidente fit vlcus cauum, vt egrediatur euacueturq; materia morbifica & ſuperflua à partibus remotis & nobilioribus. In vlcus ipſum immittitur pila ex radice ebuli, gentianæ, vel etiam piſum, alii frequenter imponunt folia

lia

lia hederę; & puluerem veratri albi vel nigri. NB.
Notandum autem, in fonticulis, qui venenis extrahendis inuruntur, celerrime Escharam esse remouendam frequenter applicando butyrum recens calefactum, quo Eschara auellitur. Per Escharam æquus Lector intelligat crustam proprie, quæ à ferro candente inducta est, crassam nigramq;, quæ sua etiam sponte in vlcerib. quibusdam cauis accrescit. Inuruntur autem fonticuli nunc maiores, nūc minores, pro vario modo materiæ reuellendæ, in capite, sutura coronali & circa eam ad latera, in artubus superioribus & inferioribus, id est cruribus, femoribus, brachiis, & spatulis.

Probatur deniq; in hoc casu vesicans, id est, *Vesicantia.* pustulas vesicasq; excitans, quale est illud causticorum genus, quod vim habet vrendi potentia, cutemq; diuellendi atq; exulcerandi, sunt autē cantharides, scylla, euforbium, vrtica, sinapi, fimum columbinum, stercus caprinum, tithymalus, metalla acriora, vt sublimatus, arsenicum, antimonium &c. Formula talis est.

Recipiatur cantharidum præparatarum & ceroti sacri sing. vncia semis, fiatq; pasta seu massa. Vel. Recipiantur cantharidum præparatarum drachmæ iij. euforbii, sinapi, radicis ari, singul. drachma semis, fermenti acerrimi drachmæ 6. aceti scyllitici parum, fiat massa, pro vesicatorio.

Modus applicandi.

IMpoſtores,circulatores,ac imperiti chirurgi necnon barbæ tonſores triobolares miſeris ægrotis hic nefarie imponunt,dum ſcilicet arroganter in capitis doloribus oculorumq; leui inflammatione veſicas excitant in occipitio infra cerebellum Eſcharotico in ſat amplo platyſmate extenſo, quo cutis adeo vlceratur atq; diuellitur, vt ferarum laniatui ſimilem eſſe dixeris,quin malum augent,dum materiam morbificam ab anterioribus capitis partibus auertendo reuellunt in ſpinalem medullam, vnde poſtea periculoſa ſępe ſymptomata ſolēt induci. Quapropter cautio adhibenda eſt in eiuſmodi cauſticis, quæ in minima etiam doſi veſicando cutem aperiunt,ad quem vſum fabricandi ſunt caliculi aliquot ſimiles caſtaneis vel glandibus ex argento,multo tamen minores, vt ſc.plus grano cannabino non recipiant vel ad ſummum duo, quibus caliculis cauſticum includitur, locoq;aperiendo imprimitur,loco tamen,cui imponuntur, manibus prius affricato, vt laxatis ſpiraculis medicamenti vis celerius penetret: aliquando etiam eſcharoticum nucis alueolo includitur, atque ita imprimitur nucali teſta loco circumſcripto.

Veſicæ autem configuntur, humorque ex-

pri-

primitur, relinquitur vlcus, per quod materia omnino expurgatur. Vlcus per 3. vel 4. dies apertum detinetur, folio hederæ vel brassicæ butyro inuncto, vel ceræ etiam momento. Prout vero affectio organi indicantis & actio materiæ morbificæ fuerit maior vel minor, pro eo longius vel breuius detinendum vesicans est, perseuerante enim præsentia indicantis affectuque existente contumaci longiori tempore est seruandum, interdum per horas 6.8.12. etiam & vltra. Verum notandum, si tantum vitæ calorisq; refouendi causa vesicans adhibetur, maturius esse detrahendum, nec expectandum, donec existant bullæ & vesicæ, longius enim si detineretur, exhauriret quod ad redintegrationē partis sit attractum.

Submonitio de fonticulis & vesicantibus.

AMbrosius Pareus consulit, vt ægrotos inuisuri curent sibi fieri fonticulos in brachiis & tibiis, quoniam natura per ea loca, quicquid humoris noxii in corpore coaceruatum fuerit, expurgare consueuit, illudq; relegabit virus, quod alias ad principes partes appulisset. Antiquissimum vero vrendi morem fuisse apud Libyæ populos, ab antiquis etiam medicis vsitatum, testatum facit Herodotus in quarto,

vbi Latine verſa hæc leguntur: puerorũ ſuorum cum annum attigerint quartum, œſypo ouillo venas verticis adurunt, alii vero ipſorum venas temporales. Quod ideo agunt, ne vllo tempore à capite deſcendens pituita offendat, & propter hoc ſeipſos ſaniſſimos prædicant. Et certe Libes omnium, quos viderimus, hominum, ſaniſſimi exiſtunt, an propter hanc cauſam affirmare non audeo, ſunt tamen ſaniſſimi. Intellige autem œſypo feruente id factitaſſe eos, nam feruens oleum etiam vrere nemo ignorat. Sic Hippocrates ſæpe lino crudo vrendum mandat, quod certe de ignito intelligendum eſſe Mercurialis lib. 2. Variar. lect. innuit. In Thuſcia ſimiliter ac nonnullis aliis Italiæ locis conſuetudo eſt, pueros adhuc lactentes vel paulo maiores in occipitio ferris ignitis vrere, ſpe, hoc auxilio à pituitæ malis & præſertim comitiali morbo eos liberandi.

Pueri ne epilepſia corripiantur.

Contingit autem aliquando, vt inter vrendum ſuperueniat conuulſio, vt cum læditur neruus, contra quam inuentum remedium eſt, cum hirci vrina aſperſio, qua eos ab illa tutos reddunt.

Hactenus præſidium Chirurgicum: ſequitur medicinale.

CONſiſtit autem & perficitur iis, quæ in præſeruãdo per os aſſumũtur, vt ſunt vacuantia & alterantia.

Ea

Ea quæ vacuant, vel per os vacuant, vel per aluum, & vtraq; leniter vel valide. Sciendum autem ab acrioribus purgantibus hic abstinēdum, quia metus est, ne profluuiū alui excitent, quod in hoc affectu pernitiosum est: pestilentiæ enim tempore leuissima occasione commouentur humores, impetumq; faciunt in ventrem.

Quare eiusmodi medicamentis vtendum, quæ sine humorum exagitatione primam corporis regionem, primasq; superfluitates ex ventriculo, venis mesaraicis, intestinis tenuibus & crassis sine insigni attractione, expurgēt. Quod si vero superfluitates crassæ sunt & viscidæ, magnaq; prauorum succorū copia fuerit congesta atq; coaceruata, ad validiora confugiendum. Si fæcalis tantum superfluitas, id est, materia in crassis intestinis vrget, commode per clysteres educitur & suppositoria.

Leniter autem & sine insigni aliqua humorum agitatione per aluum purgant: & vacuant infusiones rhabarbari & agarici factæ in decocto illarum herbarum, quæ veneno resistere natæ sunt, addito sirupo ex infusione rosarum, vel cichorea, & eiusmodi aliis, quæ pro cuiusq; ætate, viribus, consuetudine & temperamento à prudente medico præscribenda sunt. Prodest & simplex rhabarbari & agarici infusio in vino albo. Certum est agarico hic nihil præstātius esse, non solū enim veneno resistit potenter, sed pe- *Agarici præstantia.*

ctoris etiam ac pulmonis ſuperflua & viſcida exturbat. Rhabarbarum epar magis reſpicit & ventriculum.

Infunditur autem agaricus in vino albo à drachma vna ad duas pro vario cuiuſque natura & complexione, cum Zinzibere, garyophyllis aut ſpica: in decocto vero drachmis tribus aut vncia dimidia propinantur. Cum rhabarbaro autem infunditur doſi minori.

Inſigniter etiam commendantur pillulæ Ruffi & peſtilentiales dictæ, quibus ſingulis ſeptimanis & per interualla vti conuenit ante cibum. Earum compoſitio talis eſt.

Recip. aloes vncias ij. myrrhæ, croci, ſingul. vnciam vnam, cum vino aromatite fiant pillulæ ad magnitudinem cicerum.

Vel, (non enim vno modo à Græcis & Arabibus deſcribuntur)

Recip. aloes vncias ij. myrrhæ vnciam vnam, Croci vnciam ſemis; hæc magis probatur: priori enim croci doſis nimium aucta eſt.

Crocus vires ac cor recreat roboratq;, myrrha putredinem prohibet, aloe immerſos ventri humores educit, doſis harum eſt drachma vna: vel etiam ſcrupuli iiij.

Recip. aloes lotæ ſcrup. ij. myrrhæ, croci ſingul. grana 15. cum vino albo fac pillulas. Vel, Recip. aloes lotæ drachmam vnam, myrrhæ ſcru-

ſcrupulum vnum, croci grana 15. fac pillulas.

Vbi notabis minori quantitate has pillulas dandas eſſe, antiquam peſtis actu prehenderit, maiori vero cum iam iã inuaſerit, quia maiori vi vt morbus depellatur, opus eſt, quam vt præcaueatur. Præſtat quoque in hoc caſu pillulas ex rhabarbaro, aloe, agarico, & ſena hieme pręſcribere & concinnare pro diuerſo vitæ inſtituto & natura cuiuſq; varia, æſtate vero ſcias horum diluta magis probari. Modus pillularum cõficiendarum ſecundum artem talis eſt, qui pro ſecreto habetur.

Recip. rhabarb. vnciam vnam & ſemis, agarici vnciam vnam, ſenæ mundatæ vncias iiij. cinnamomi vnciam vnam, zinziberis ſcrupulum vnum, aniſi fœniculi, ſing. drachmas 2.

Reducantur in craſſiuſculum puluerem quem irrorabis aqua vitæ, poſtea macerabis in aqua borraginis aut communi, quam, cum ſatis fuerit colorata, colabis, poſtea ſimilem aquam affundens ſuper fæces, macerabiſque vt prius, percolabis, exprimeſque, percolatum lento decoques igne ad mellis conſiſtentiam additoque ſaccharo reſeruabis in vſum: dato tres 4. vel 5. pillulas pro ſemidrachma, plus vel minus pro ratione ætatis, virium, temperamenti.

Aliud leniter purgans & sine vlla humorum agitatione.

BAptiſta Agnelli Anglus peſtilentiæ tempore fœliciter vſus eſt ſequenti opiata,quæ recipit agrimoniæ, abſynthii romani ſing. manipulos ij. menthæ manip. vnum,aniſi vnciam ſemis, ſenæ vncias ij. fiat decoctio in aqua cõmuni per horas 4.deinde fiat fortis omnium expreſſio , expreſſo adde ſacchari vnciam vnam, caſſiæ mundatæ vncias ij. fiat forma opiati, doſis vncia ſemis. Huic medicamento ſi addideris agarici vnciam ſemis,efficies id validius.

Vomitoria. Purgantia per ſuperiora & os probantur,ſi materia habet inclinationem ad ſuperiora,eãq; imminutam , tunc enim vomitoriis vtendum eſt, ſed lenientibus primo & mediocribus.

Vomitoria fiunt ex aqua hordei, è iure pulli cum aceto,oleo cõmuni(quod præſentiſſimum vomitorium eſt per ſe) oximelite ſimplici, raphani ſucco,radice aſari,&c.

Recip.oxymelitis ſimplicis vncias 2. ſucci raphani vnciam vnam : iuris pulli vncias 13.

Hic ius pulli copia ſua aggrauat expultricem, vt expellat, oximel incidit atque deterget. Raphani ſuccus irritat ratione acrimoniæ ſuæ expultricem.

Debent autem eiuſmodi vomitoria tepida eſſe,

esse, ratione enim tepiditatis euadunt iniucunda, ac administrari ventriculo non existente famelico, tunc enim expultrix magis viget.

Verum si superfluitates sunt crassæ nimis & viscidæ, prædicta vomitoria sufficere nequeunt, debiliora enim sunt & aquosa tantum ac tenuia reiiciunt atque expellunt, crassa vero, viscida & lenta relinquunt, ad quæ radicitus exturbanda præstantissimum est antimonium probe correctum & præparatum, quo vomitus prouocari potest, omnes enim prauos succos in ventriculi cauitatem allicit, ac postea expellit, quod alia medicamēta non æque cito ac promte præstare deprehenduntur.

Verum accurate habenda ratio est virium ac ætatis, nec non humorum in ventriculo abundantium: ætas tenera & infirma, viresque languidæ id non ferunt: Sic etiam qui stomachum habent debilem & vacuum: quemadmodum enim omnis sine cibo vomitus molestus est & laboriosus, ita antimonium, ventriculo vacuo existente, exhibitum maxime noxium est, quod inprimis hic obseruandum venit, contra imperitos chirurgos & barbitonsores, qui indifferenter, nulla habita ratione ætatis, roboris virium, ac temperamenti, nec non diæteticæ consuetudinis, cæco & bruto iudicio exhibere quouis etiam tempore id non verentur, & qui- NB.

NB. dem ad ſemiſcrupulum vſque in ſubſtãtia. Notus eſt nebulo quidam chirurgus in vicinia hac, qui omnibus ad ſe venientibus id exhibet mortifero ſæpe experimento.

Rationalis medicus non exhibet id niſi omnibus paribus, & quidem dilutum eius ſeu infuſum in vino bono, maluatico, falerno, vel etiam vini ſpiritu ad grana 4. vel ſummũ quinq;. Tutius enim eſt dilutũ quã ſubſtãtiam propinare.

Et acetum vel ſpiritus vini inſigne eius correctorium eſt, quod expertus in me ipſo ſum aliquoties. *Cenſura.* Itaque mere vanum eſt & friuolum, quod quidã antimonij præparati vſum ægrotis & ſanis diſſuadent, ſuffragia magis eblandientes quam veritatem rationeſque veras proferentes. NB. Non decet Medicum & Philoſophum verum nimis ſubblandiri tum propriis tum aliorum affectibus ac iudiciis. Antimonii vſum legitimum, à clariſſimis medicis approbatum niſi inueniſſem, confidenter nimis agerem, ſi proprio iudicio, experientia & autoritate niterer. antimonium crudum exhibere, nec probe præpaparatum impoſtorum eſt, non medicorum: probe autem præparatum tunc eſt cum ſpiritus arſenicalis ab eo eſt ſeparatus.

Serapio Arabs, qui Galenum annos ſupra fere ſexcentos ſecutus, in epilepſia citra periculum id exhibuit, & in mania ac hydropiſi, morbiſq; contumacibus hodie vſurpari ſolet.

Hier.

Hieronym. Capiuaccius medicus Patauinus illustris in arthritide & ischiade probat vsum antimonii. Verba eius hæc sunt in practica medicina tractatu de arthrit.

Non improbātur vomitoria, vnde in pertinaci arthritide & Ischiade vti possumus antimonio. Idem ca. de melancholia ait, materiam melancholicam sæpe adeo esse cōtumacem, vt medici antimonio vti cogantur, & quandoque veratro albo.

Regis Daniæ medicus Petrus Seuer. in rotulas cum diamargarito vel diatracantho calido id densabat, atq; ita exhibebat. Iacobus Tabernæmontanus medicus Vormatiensis insignis in tractatu suo de aquarum & acidorum fontium viribus & differentiis cap. 79. vsum antimonii commendat ac præcipit. Verba eius vernacula asscribere placuit, quæ habentur pag. 460.

Es mögen die armen nehmen iiij. Gran deß præparirten antimonij / vnnd mit einem halben lot Ochsenzungen oder Borragen Zucker vnnd Melissen Zucker einnehmen / das wirdt in solchem fall thuen (Redet aber von den Hirnschwindenden vnd tobsüchtigen / vnd denen welchen die sinne verrücket sind) was es thuen vnd außrichten soll / vnd schadet nichts / daß es etwas hefftig vnnd streng ist / dann diese gifftige verbrandte feuchte nicht mit linden Artzneyen mag außgeführet werden. Hæc ille.

Petrus

Petrus Droetus Medicus Parisiensis vomitum in pręcauenda peste antimonio prouocandum præcipit in tract. quem scripsit de peste, hac tamen cautione, vt, quo facilius & minori cum molestia vomāt, qui id assumserunt, superbibant vna atq; altera hora post deuoratum vomitorium iusculum pulli gallinacei, idq; quoties vomendi desiderium præsenserint, semper repetant. Hæc Droetus.

Henricus Ranzouius vir nobilis, literatus, & sanitatis conseruandæ studiosissimus in libello suo, ad quem lectorem remitto, de sanitate conseruanda, vsum antimonii singulis mensib. commendat, ac sæpius se eo vsum felicissime indicat.

Hæc eo lubentius testimonia citaui, vt planum fieret tantos viros ab eius vsu non abhorruisse. Et possem plura proferre non reiicienda si opus esset.

Fatui igitur sunt, ac nimis alienis iudiciis adblandiuntur, qui vsum eius sic ex affectu magis quam ratione plane proscribunt. Si enim in morbis contumacibus, vt dictum est, eius vsus conceditur, nihil vetat, aut prohibet, quo minus in contumaci alui constipatione tempore sanitatis, quo vires maxime constāt, eo vti liceat, aliis præsertim purgantibus deficientibus.

Porro in antimonii defectu accipi debet interior nucis peregrinæ istius Indicæ ex noua Hispa-

Hiſpania ad nos apportatæ, medulla, quæ, licet non minus ori grata ſit, quam auellana aut nux iuglans, vomitum tamen potenter concitat: eſtque remedium non aſpernandum, vt quod nulla indigeat præparatione, ſemperq; poſſit eſſe præſto. Oleum quoq; ex nucibus his recentibus expreſſum ventriculum & inteſtina ſine noxa expurgat, quod pauci hodie obſeruarunt.

Huius vero defectum vireſq; ſupplere poſſunt nuclei quinque aut ſex palmæ Chriſti, ricinum vocant, aluum namq; deturbant, viciſſimque vomitum proritant; cauendum tamen ne dulcedine illius cibi capti plus iuſto deuoremus, ad hypercatarthaſim, id eſt, violentā purgationem ac deiectionem moueamus, quod tamen errori ſumentis, non præſcribentis vel monentis eſt aſcribendum. Sic vſu venire ſolet, vt quibus antimonij infuſum ac dilutum bibere præſcriptum eſt, in ſeparando liquore ſc. ab antimonii ſubſtantia, incaute huius portiuncula illi permiſceatur, vnde poſtea vehementiores ſolent excitari motus & torſiones, quare purum diſutum bibendum. Finito vomitu æger ventriculus reficiendus eſt multum & cito nutrientibus, vt carnium delectarum iuſculis, &c.

Hactenus de vacuantibus: ſequuntur alterantia.

Alte-

ALterantia vel manifesta qualitate veneno sunt contraria, vt caliditate, frigiditate, &c. Vel totâ forma & substantia, illa respiciunt cordis complexionem, hæc eius proportionem & substantiam. Commiscenda autem sunt frigida calidis, si corpus calidius, & calida frigidis, si frigidius corpus est præseruandum.

Calida sunt tum simplicia, tum composita.

Simplicia sunt, angelica, carduus benedictus, cortex & semen citri, dictamnus, gentiana, myrrha, Scorzonera, (quam aliqui pro secreto habent) galega, id est, rutha capraria, melissa, betonica, pimpinella, guiacum, sassafras, (quod admirabile quidam dicunt) Zedoaria, rutha, flores calendulæ, absinthium, scabiosa, &c.

Hæc à veneno præseruant sudoremq; proritant vel decocta tepideq; sumta, vel in electuarii consistentiam tabellasue redacta, vel etiam infusa macerataque in conueniente liquore.

Calida composita sunt diamoschus, gallia moschata, & magnæ antidoti, inter quas nullis aliis cedunt theriaca & mitridatium, dãtur aũt à scrupulo vno ad drachmam vnam ex liquore conueniente. vt sunt aquæ distillatæ, buglossæ, borraginis calendulæ, rosmarini, maioranæ, rosarum, absinthii, violarum, acetosæ, hyperici, scordii, iuniperi, tormentillæ, & similium. Æstate & temporibus calidis cum aceto vini & aqua rosarum diluuntur felici successu.

Verum

Verum de theriacę & mithridatij exhibitione inter practicos disceptatur, an sc. febre pestilentiiam actu correptis ad ciendum sudores sit exhibenda? Præstantissimorum medicorum omnium consensus est, theriacam in curatione, febre scil. præsente & æstuante, inutiliter exhiberi.

Ac cum autoritate experientia hic consentit & ratio. Quia enim habent formam magnæ actiuitatis, inprimis theriaca, vehementerque calefaciunt, calorem etiam febrilem augent, & ex caliditate cordis schetica faciunt hecticã, quod ex insigni præcordiorum & pectoris inflammatione, de qua post illorum sumtionem ægri conqueruntur, colligitur. Vnde theriacam & magnas antidotos Auicenna probat in præseruatione, in curatione vero alterantia saltem frigida, quia ipsa febris est calida, & venenum etiam pestilens calidum. Theriaca enim ante febrim pestilentem exhibita, facit vt homo vel non corripiatur, vel correptus non ita lædatur.

Vnde recentiores medici Auicennã sequuti nunquam vel saltem in quantitate exigua, non ad mouendũ sudorẽ, vt multi lethali hodie factitant experimento, sed ad hebetandam extinguendamq, malignam putredinem, post venæ sectionem, admistis frigidis & exiccantibus succis, aliquando imperarunt. Et ipse autor libri

ad Pamphilianum non exhibet, vt malam ſanguinis qualitatem per ſudorem huius vi eliciat, ſed vt eam ex inimica efficiat amicam.

Vires theriacæ & mitridati.

In præſeruatione igitur, ſicut & in peſte actu exiſtente, ſed ſine febre, certum eſt antidotum vtramque valde vtilem eſſe. Tutos nos reddere ab aeris noxia theriacam, ipſe quoque Andromachus dixit. Galenus in ca. 1. vtriuſque libri de antidotis, theriacam in vna tantum re, viperarum ſc. morſu, mithridato præfert, in cæteris omnibus hoc illi non cedere, imo præſtantiorem in plæriſque venenis aliis eſſe affirmat. Autor libri ad Piſonem inſtat ignis purgatorii cuiuſdam ſcribit theriacam (legitime ſc. & tempeſtiue vſurpatam, ſecus enim venenum & ipſa eſt corporum noſtrorum vitia expurgare, putredinem futuram arcere, præſentem amouere, videlicet exiccando abſumendoq; redundantes humores, attenuando craſſos, calefaciendo frigidos concoquendo crudos, diſſipando malos & noxios.

Quæ cum perficiat in ſanis caliditate non conſpicua nec noxia, merito commendatur ſanitatis tempore ipſius vſus, ſi iuxta medici præcepta ſumatur. Germani quidam medici fere ſoli theriacam in curatione exhibere audent, forſan quia compererunt, medicos Septentrionem verſus, quod ipſe vidi, eam vſurpare, vel quia compererunt in ſudore Anglico eam

profuiſſe, vnde exiſtimant in alia quauis peſte eam prodeſſe, ſed errant. Sudoris enim Anglici virus in ſeroſa præcipue, tenui atq; aquoſa inhæret ſanguinis ſubſtantia, argumēto eſt, quod ſudorifico pharmaco peſtis tempore eo correpti percurentur, peſſimeq; cum iis agatur, niſi continuò ad animi propemodum deliquium vſq; ſudent.

Præſens vero peſtis in craſſiore ſanguinis ſubſtantia figitur, vnde ſudorifico medicamento non protinus etiam exturbatur. Hactenus de alterantibus calidis: ſequuntur frigida, ſuntque bolus armenus, terra ſigillata, vinum granatorum, ſantala, hiacynthus, corallium, margaritæ, camphora, acetoſitas citri, acetoſa, lac acetoſum, ſuccus quinquefolii, acetum, roſæ, Nymphææ flores, &c.

Verum attendendum in his medicamentis miſcendis calida eſſe frigidis aſtringentibus ſemper contemperanda, vt ſantalis, coralliis, terra ſigillata, hæc enim aſtringendo calidi innati diſſolutionem impediunt, quam callidiora efficerent. *Prae. notab.*

Sequuntur præſeruantium quorundam & prophylacticorum, ſimplicium & compoſitorum, autoritate, ratione & experientiâ comprobatorum, deſcriptiones.

DE theriaca & mithridato dictum est, sed in compositione cum aliis sequenti miscentur modo.

Recip. theriacæ opt. drachma vna, pulueris radicis angelicæ drachma semis, boli armeni scrup. 1. dissoluantur in aqua angelicæ & scabiosę sing. vnciis duab⁹, fiatq; haustus.

Recip. conseruæ rosarum vnciam vnam: buglossæ vnciam semis, theriacæ, mitridati singul. drachmas ij. terræ sigillatæ, boli armeni singul. drachmam semis. Spiritus victrioli scrupulum. Cum sirupo acetositatis citri fiat electuarium.

Præstantissimum prophylacticum est ieiuno ventriculo mane præcipue sumtum: dosis iuglandis quantitas.

Aliud, ratione experientiaq; multa probatissimum, quo nobilissimi quidam Daniæ proceres ac fœminæ se, suosq; subditos innumerosq; alios à peste liberarunt.

Recip. radicis angelicæ, tormentillæ, enulæ, baccarum lauri recentium, singul. vncias ij. gentianæ Zedoariæ, singul. drachmas quatuor, croci drachmas ij. Succi ruthæ vncias iiij. Cum succo iuglandium viridium sufficiente coquantur in electuarii consistenriam addito melle ad vncias iiij.

Hoc præseruans publico sumtu dignum est, vt in omnibus vrbibus præparatum habeatur. Paratur enim facili sumtu.

Aliud conseruans & præseruans apud Septentrionis Reges & proceres in vsu.

Recip. corticum citri conditorum, arantiarum, sing. vnciam vnam & semis, radicis pimpinellæ conditæ, enulæ conditæ, sing. drachmas iij.
Conseruæ anthos, buglossæ, sing. vnciam semis.
Elect. de gemmis, Pler. archontici, sing. drachmam vnam & semis.
Croci orient. drachmam semis.
Vnicornu scrupulum semis.
Theriacæ veteris, mitridati, singul. drachmas iiij. olei cinnamomi guttas viij.
Foliorum auri, numero ij.
Cum sirupo ex pomis & acetositatis citri fiat electuarium molle.

Verum impendiosæ nimis eiusmodi compositiones sunt: qui tenacioris sunt substantiæ, vel etiam non sunt de impendendo simplicioribus æque probatis paratuque facilimis sint contenti.

In Sanctuario Mitridatis Maximi Regis Ponti à Pompeio deuicti repertum est in peculiari commentario, nullo veneno lædi, qui sequenti antidoto vteretur, cuius etiam meminit Galenus l. 2. de facult. alimentorum, & Plinius l. 23. c. 8.

Antidotus Regis Ponti.

Recipit autem nuces duas, ficus totidem, ruthæq; folia 20. ſaliſq; momentum: teruntur omnia, maneq; ieiuno ſtomacho deuorantur.

Theopompus refert, Clearchum Heracleoti tyrannum multos aconito interemiſſe, veneno quod in Aconis iuxta Heracleam locis naſcitur. Id cum ſubditi reſciuiſſent, nullus ante quam rutham comediſſet, domo egrediebatur, quo ab aconiti veneno ſoſpites euadebant.

Salia herbarũ quarundam ſudori proliciendo accommodatiſſima.

Hoc minime prætereundum, quoniam ruthæ hîc ſit mentio, ex rutha ſicut & ex abſinthio & aliis confici Salia, eiuſmodi ſc. remedia, quæ ſudori euocando, bubonum eruptioni promouendæ, peſtilentis putredinis ſeminariis per anguſta cutis ſpiracula educendis, viruſq; quod principem partem obſedit, foras propulſando accommodatiſſima ſunt. Vnde poſt purgationem, & præſertim principio morbi nondum præſente febre, quoties ſc. natura per ſudorem ſe alleuiare tentauerit, commodè exhiberi poſſunt cum aqua bugloſſæ, conſerua roſarum, vel citrii mali aqua, vel ex vino albo, ad 8. vel 10. Grana, plus vel minus pro ratione indicantium.

Primas autem partes quidam tribuunt ſali, abſinthio, ruthæ & ſcabioſæ.

Compoſitio talis eſt. Abſinthium Romanum, rutham & ſcabioſam combure in cineremque reducito, cui affunde aquam communem,

nem, decoquasq; per sesquihoram aut plus eo, percola aquam, aliamq; affunde, decoquitoq; vt prius, idq; tàm diu repetendo, donec aqua bulliendo saporem & colorem nō mutet: postea asseruatas aquas depura per filtrum aut inclinationem, facque euaporare igne lento, salemq; habebis in fundo & vasis lateribus, qui reseruetur ad vsum.

Eodem modo parantur salia ex angelica, guaiaco & fraxino.

Hieronymus Flandrus Chirurgus Londini grassante peste ægrotis exhibuit 10. aut 12. grana salis è fraxino cum conserua borraginis, aut aqua scabiosæ vel Carduibenedicti, statimque totum corpus sudore diffluebat, ægrique aut omnino euictâ morbi malitia, aut foras in emissarium actâ, curati sunt. Ex his salibus aquâ vitæ dissolutis per 5. aut 6. dies in balneo vel fime putrescentibus, deindeq; destillatis elicitur oleum, cuius guttulæ iij. vel iiij. magnas habent in sudore copioso prouocando vires. *Oleum ex salibus.*

Certissimum quoque paratur ad euocandum sudorem remedium, ex decocto guaiaci, chynę, sassafras, addito sirupo acetositatis citri, & similibus, vt aqua theriacali, quæ singularis est.

Paratur sic. Recipe theriacæ antiquæ vncias 2. myrrhæ vnciam vnam, croci orientalis integri drachmas ij. Spiritus vini vncias vj. distillentur in alembico vitreo. *Aqua theriacalis.*

Terra sigillata. In terra sigillata & bolo lemnia tantum virium reposuere vetetes ad arcendam pestem, vt nemo vnquam sit eâ visus interiisse, qui his ante sit vsus. Sed hodiè eorum vsus suspectus.

Allium. Allii caput egressuri domo quidam præmandunt, vinique odori modicum superbibunt, indeq; os colluitur, faciesque abluitur. *Vrina.* Alii vrina vtuntur propria, sed destillata prius: sic enim pota (cuique tamen sua) contra viperarum morsus ac venena prodesse à grauissimis autoribus traditur.

Thapsus barbatus. Thaphso quoque barbato magna vis inest. Experimento comprobatum est, succum ex herba expressum in vino tenui & odoro non solum præseruare, sed correptos etiam liberare. Animaliumque natura docuit contra venena eum valere. Mustela cum serpente decertans virusque sentiens, statim hanc quærit herbam, mandit, atque pugnam ita instaurat.

Aceta contra pestem. Parantur etiam facili labore & sumtu aceta & aquæ veneno pestilenti abigendo accommodatissimæ. Nec præseruant tantum, sed correptos etiam liberant.

Recip. angelicæ vncias ij. enulæ vnciam vnam, foliorum ruthæ vnciam

vnam

vnam ſemis, baccarum lauri, baccarũ iuniperi, ſing. vnciam vnam, nucleorum iuglandium, numero 8. ficuum pinguium numero 6. cinnamomi, macis, ſing. drachmas ij. puluerisanda craſſiuscule pulueriſentur & infundantur in aceto roſarum, vel florum garyophyllorum ſufficiente, inſolentur & reſeruentur ad vſum: vel etiam diſtillentur vt decet, tunc enim vires acquirit magis penetrantes.

Aliud celebratiſsimum, quo vix vllum præſtantius eſt.

Recip. foliorum ruthæ, abſinthii, chelidonii mai. artemiſiæ rubeæ, florum ſambuci, ſing. manipulos ij. florum calendulæ, roſarum rubearum, florum nympheæ, ſingul. manipulum

vnum. Scabiosæ, Carduibenedicti, tapsi barbati, sing. manipulũ semis. Seminum anisi, fœniculi, sing. vnciã semis. Semina crassiusculè contundantur, infundanturq; omnia in aceto vini sufficiente in vase cuprio vel stanneo, stent per dies aliquot, fiat fortis expressio, succus expressus reseruetur in vitro, dentur viro correpto integra cochlearia iij. mulieri ij. puero vnum pro sudore eliciendo. Magis verò probatur distillatio.

Succus calendulæ. Nota, Succum calendulæ à primo statim initio exhibitum mirabiles in sudore prouocando prodere vires.

Aliud in peste refrigerans & exiccans, ac temperatum.

Recip. semperuiuum, verbenam, solanum, nuces immaturas; cum aceto vini destillata refrigerant, exiccant, & subitò refocillant ægrotos, vel per se,

ſe, vel cum ſyrupo aliquo roborante. Multis hoc acetum profuit eoque etiam ſecundo ab inuaſione die ſumpto, melius circa cor habere cœperunt, quibus poſtea ſudorifica potio data eſt, ac conualuerunt.

Ad confirmandas partes principes aqua ſingularis.

Recipiantur malorum citriorum in multas partes diſſectorum numero 8. Summitatum borraginis, meliſſæ, ſingul. manipulum vnum, vini albi odorati libras iij. diſtilla in vaſe vitreo, extillabitque aqua limpidiſſima, grata & odora, ieiuno dentur vnciæ ij.

Alia præſeruans & liberans, non vulgaris.

Recip. rad. tormentillæ, biſtortæ, Zedoariæ, enulæ ſing. vnciam vnam. morſus diaboli ſcordij, alliariæ, a-

cetosæ, pimpinellæ, singul. manipulum semis. florum buglossæ, violarum, tapsi barbati, summitatum ruthæ, singul. pugillum vnum, seminum citri, carduibenedicti sing. drachmas ij. baccarum iuniperi drachmas iij. garyophyllorum, nucis mosch. sing. drachmam vnam semis, theriacæ veter. drachmam vnam semis, vini albi odoriferi libr. ij. semis, distillentur omnia in balneo, dentur vnciæ ij.

Plura alia eiusmodi prophylactica huc possent asscribi, si opus esset: quæ à me sunt allata, sufficienter præstabunt, quod effectum volumus.

Circa sudorifera quid maxime in peste considerandum? Vnum circa sudoriferorum exhibitionem imprimis notandum, quod in curatione etiam ipsa maxime locum habet, & magna cum ægrotantium iactura à multis in eo peccatur, vt sudorifera ita componantur, ne vehementer calefaciant, viresque subito prosternant. Verum de hac cautione supra in quæstionibus prolixe disputatum est.

Spiritus victrioli. De spiritu victrioli pene præteriissem cum peculiare esse pestis tempore prophylacticum, & in curatione quoque aliis non cedere tem-

pestiue

pestiue exhibitum : putredinem pestilentem arcet, & refrigerium insigne est, quod inexpertis videbitur absurdum.

Essentia etiam seu extractum croci maximum arcanum est, & vix est ex omnibus vnũ, quod magis respiciat cordialia. *Essentia croci, auri, margaritarum, coralliorum.*

Crocus enim cor hominis est. Correctorium autem postulat refrigerans & asttingens, vt essentiam seu extractum coralliorum, vel succum citri.

Auri quoq; & margaritarum extractũ cordiale insigne est: verum hæc & similia non sunt obiicienda porcis.

De lapide Bezoar, cui mirabilia asscribunt moderni Practici, non quidem nego, vires cũ venenis repugnãtes habere, sed parum ei fido, quia plerunq; nothus est. *Bezoar.*

Certo certius est, sępe subesse fraudẽ, quamuis sit nobile pretium. NB.

Itaq; magnatibus eum relinquemus. Sed videant ne decipiantur.

Legitimus est & sincerus, læuis & blandus, qui facile alabastri modo abrãdi potest, diutiusque in aqua hærens liquescit. Verum certissima legitimi & indubitata indicia sunt, primo si in meditullio cauus est, pulucrisq; eiusdẽ cum lapide substantia plenus, qui maxime commendatur, atq; ipsi etiam lapidi pręfertur: tum

tum etiam si laminas (constat enim ex laminulis miro artificio alia aliam, non secus vt cœparum tunicæ, amplectentibus, splendentibusq;) habet maxime splendentes: & si priori demta subsequens splendidior multo apparet, legitimi certum habetur indicium.

Qui enim adulterati sunt, neque laminas habent splendentes, neque puluerem illum in meditullio continent, sed granum aliquod vel semen. Meminit huius lapidis clariss. medicus Hispalensis Nicolaus de Monardis in eo libello, quem de scurzonera peculiarem scripsit, & legitimos minimeq; adulteratos in meditullio vult esse concauos.

Vlyssibonæ inuenitur venalis interdum, vbi, an legitimus sit, tale emtores faciunt periculum: ducitur cum acu filum per toxicum, (balasteram vocant herbam) deinde per canis aut alterius animalculi pedem transmittitur acus, atque filum relinquitur in vulnere. Canis protinus incipit conflictari iis symptomatibus, quæ comitari solent eos, qui toxicum biberunt. Cumque plane canis concidit atque desperatus videtur, tum puluerem de hoc lapide abrasum, aquaque dilutum cani in os infundunt, sique auxilium senserit canis, legitimi probatio est, sin minus, adulterinum censent.

Matthiolus lib. 5. c. 73. in Dioscorid. scribit, nudæ

nudæ ſiniſtri lateris carni adalligatum, omnia eum venena ſuperare.

Carolus Cluſius in aromatum & ſimplicium aliquot medicamentorum hiſtoria ait ſe hoc adhuc quenquam experiri non vidiſſe, hoc vero verum eſſe, quod eius puluis à mortiferis animalibus ictos liberet, venenumque ex apertis peſtilentialibus carbunculis impoſitus exugat. Quapropter in illis regionibus vbi herpetes malæque puſtulæ ſeu exanthemata admodum noxia ſunt, ſubindeque ægros necant, ſolent ægris per ſingulos dies puluerem huius lapidis ex roſacea propinare medici ad vnum atque alterum granum, felici cum ſucceſſu. Verum hæc nimis exigua doſis eſt: quæ in veneno craſſo & magnæ actiuitatis non ſufficiet.

Hunc lapidem, quem inueniri tradunt ſaltem in Pam regni Malacenſis prouincia, in hiſtricis felle vnicè venenis reſiſtere ſcribit Car. Cluſius in aromatum hiſtoria, incolaſque eum lapidi bezoar, qui iſtic frequens inuenitur, longe præferre, tum ob raritatem, tum ob virium contra venena præſtantiam. Vires eius hactenus incognitas, atque nondum verè exploratas experimento comprobaſſe inſignē medicum Dimam Boſque Valentinum Indum, idem Cluſius affirmat, idque in duobus viris, qui venenum hauſerant, quibus vulgarem *Lapis Malacenſis.*

rem aquam, (cordialis enim deerat, eratq; periculum in mora) in qua hic lapis aliquandiu maceratus erat, propinauit, qui illam gustu amaram deprehenderunt, stomachusq; eorum roboratus est, venenumq; nihil obfuit.

Descriptio lapidis Malaca. Traditur autem esse eius color dilutioris purpuræ, gustu amaro, tractu læuis & lubricus, instar Venetiani Saponis.

Porro Ferdinandus Lopez. l. 1. historię Indic. meminit lapidis cuiusdam nō minori facultate prędit, quam sit lapis bezoar aut Malacēsis, quippe mirifice eum omnibus venenis resistere asserit. Est autem quantitate nucis auellanę, rarus admodum, eximiturq; è capite animalis, quod Indi Bulgoldalf vocant. Hæc Lopez.

Nostris in hortis & agris tam præsentanea proueniunt contra pestem remedia, vt exoticis illis & caris opus non sit.

Plebeis folia ruthæ cum butyro & pane esitata insigne bezoardicum sunt.

Curatio correptorū. *Hactenus de curatione pestis, quæ consistit in præcauendo: sequitur nunc peculiaris curandæ eius ratio, quomodo scil. iam ea correptus liberandus sit?*

ANte omnia primo videndum, an venenum cor primo petat, & an vitalis facultas sta-

tas sta-

tas statim deficiat? Tam subita enim quandoque & improuisa in febri pestilenti virium fit dissolutio, vt derepente æger concidat.

Et in hodierna etiam pestilenti id animaduertitur, vt correpti inopinato & subito tunc moriãtur, cum adhuc mediocriter habere putantur, ob repentinam virtutis vitalis spirituumq; resolutionem à putredine maxime exitiali & summa humorum omnium corruptione ortam, vnde vehementissimum virus exhalare, vitæq; fontem cor omnium primo petere, (hæc enim est veneni talis natura & genuina proprietas) extra dubium est. *Cur subito quidã febre pestilenti correpti moriantur.*

Vitali igitur in primo statim insultu deficiente nihil moliendum, sed quam primum cordi oppresso succurrendum cum his alexipharmacis, quæ vel qualitate vel tota forma & substantia exitiali huic pestis veneno resistant, tum foras id euocando, tum motu, inunctionibus, frictionibus & similibus à corde auertendo. Tota namq; salutis seu euasionis spes consistit in virium robore, vt excrementum veneficum possint expellere. *Vera curãda febris pestilentis methodus.* *Vnicum salutis fundamentum virium robur.*

Itaq; maximum salutis indicium est, si virtus ita est robusta, vt venenum ad partes extimas protrudat, Gal. 5. method. c. 12. & 3. epidem. Certissimum autem virium robustarum signũ est pulsus vehemens æqualis & magnus: sicut econtra, crebriores leipothymiæ, sudores circa *Signa salutis vel mortis.*

frontem

frontem frigidi, vomitus, nausea, repentina faciei decoloratio, crebra & sublimia suspiria: & denique pulsus paruus, cum scilicet tangentibus arteria videtur quasi tenue filum, motusque arteriæ tres tangentis digitos non excedit: creber item & debilis, id est, qui tactu euertitur, seu qui valide tactum non ferit, compressaq; arteria cedit, cui contrarius est vehemens: oculorumq; excauatio & liuor, virtutis prostratæ & debilis indicia sunt.

Pulsus paruus & debilis quid?

His maiori ex parte sic se habentibus, (principaliter tamen respiciendum ad pulsum) corroborandum cor est antidotis supra descriptis & frigidis alterantibus, vt succo arantiorum citriorum acetosæ, aqua rosarum violarum, buglossæ, margaritis, vino granatorum & similibus: his autem antidota, vt theriaca, &c. sunt contemperanda, sed in parua dosi, vt dictum est. Hic maxime habet locum acetum postremo supra descriptum.

Alterantia frigida.

Quibus rite administratis, Epithematibus odoriferis extrinsecus regioni cordis applicatis robur eius conseruare, non cunctandum est. Parantur autem ex vino granatorum maluatico, vino communi albo odoro, aqua rosarum, betonicæ, acetosæ, borraginis, melissæ, succo granatorum, citriorum, cydoniorum, aceto rosarum cum croco, quod insigne est, santalis, mace, corticibus citri, camphora, ambra, mo-

Epithemata cordialia.

brá, moſcho: linteolis autem madefactis cordis regioni frequenter imponenda ſunt.

Bubonum & carbunculorum curatio.

Corde corroborato, quod inde colligitur, ſi æger melius circa id habere cœperit, pulſu etiã ad magnitudinem & æqualitatem quandam inclinante, ſi bubo vel carbunculus non eruperit, ſudorificam potionem exhibere expedit, aluo tamen prius, ſi ante initium morbi parum vel nihil excreuerit, ſuppoſitorio, vel leni clyſtere, vel alio conueniente purgatorio, exonerata.

Circa cerebri vero emunctoria, cordis, aut epatis, hoc eſt, iuxta aures parotide, ſub axillis abſceſſu, vel in inguinum adenibus bubone prorumpente, aut interim carbunculo vi virtutis expulſiuæ in brachiis aut cruribus effer-ueſcente, feſtinanter, velut in vulneribus virulentis, medicamenta, quæ virus extrahant ad locum affectum applicata, videlicet ſanguiſugas vel cucurbitulas ſcarificatas, aut emplaſtrum ex fermento, theriaca, ſinapi, & cepa ſub cineribus cocta confectum.

Specificum attrahens eſt arſenicum cum bufone torrefacto, & magnete, præſertim ſi peſtilens bubo ex minera martis eſt: maxime etiam probantur veſicantia, id eſt, quę veſicam excitando attrahunt, vnde Galenus c. 12. l. 5. de medendi methodo, omnes fere euaſiſſe ſcribit, quibus corpus ſcatebat vlceribus. Verum de his ſu-

his ſupra in quæſt. Hoc tenendum, veſicatorio ſuperimponi debere diachylon ſimplex, vel cum gummi vt detineatur: eſt enim aliquãdo per 24. horas detinendum. Remota veſica butyrum eſt applicandum, & deinde per aliquot dies cerotum ſacrum. Debet autem applicari artubus.

Attrahunt porro ratione & ſimilitudinis & caliditatis oleum ſcorpionum, viperinum, & magni ducis.

Probatiſſimum quoque in hoc caſu diachylum eſt cum theriaca, trahit enim, emollit, maturat, aperit, huc quoq; refer emplaſtrum ex allio cum camphora. Emplaſtrum croci mitigans & maturans eſt, ac anodynum.

Alii laudant, lilium, allium, ſtercus caprinũ, anſerinum, caninum, columbinum, anagallidem cum floribus purpureis, ſulphur, euphorbium, ficus, ariſtolochiam & alia cum melle vel adipe in vnguentum vnita. Allium certum eſt, magnarum eſſe virium in trahendo.

Quidam loca, vbi tumores apparent, ſpongia prius fouenda præcipiunt ex decocto chamomillæ, altheæ & ſimilibus, & poſtea attrahentia, & cucurbitulas apponi iubent.

Tumor apertus cum ſucco apii & melle purgandus eſt, diuq; ſic detinendus, vt ſcil. virus bene expurgetur, tandem communibus & generalibus auxiliis vulnus implendum & glutinan-

nan-

nandum: Præstantissimum autem mundificatiuum & consolidatiuum est oleum sulphuris.

Quibusdam ante omnia placet, quam primum apparere cœperit tumor, vt vitellus oui bene salitus apponatur, crebroq; permutetur. Cauendum tamen inprimis, ne adhibeantur astringentia & repellentia, venenumque sic intro regeratur.

AN CERTVM CONTRA PESTEM POSSIT DARI REMEDIUM: & , si Deus singulariter & immediate immittit pestem ad aliquos puniendos, vtrumne conducant remedia, & an recte adhiberi possint?



CVm in peste, nõ tam quid aliquando fiat, quam quid rationi & rerum naturæ consentaneum videatur, diligenter sit considerandum, tum ea quoque pestilentis morbi sit natura, vt plures semper è medio tollat, quam viuere sinat, quantumuis aptis & bonis remediis occurratur malo, inepta certe est illorum iactantia, qui veterem medicinam, Galenique artem, ac diuini Hippocratis fundamenta infamaturi, ad firmanda sua paradoxa, hy-

hyperbolicaq; mercimoniorum suorum præconia stabiliēda, certis remediis se omnes, paucissimis exceptis, percuraturos vociferantur, astuto sane inuento Empiriæ, quo animi plebeculæ occupantur, docti pariter atq; indocti, nobiles atq; ignobiles alliciuntur, sed spe fallaci & damnosa. Plerumq; enim naturam vna cum remedio superat pestis, vt ægrum occumbere omnino oporteat, & ita qui peste pereunt, sæuitia morbi vtplurimum interiisse putentur, quamuis medici & medicamentorum ope, non pauci, vt qui curabiles sunt, euadunt, id quod vere & modeste confessus est Galenus, dum terram Armeniam omnibus, qui curabiles essent, profuisse scribit, non autem omnes, qui eam sumpsissent, persanatos affirmat. Certū autem est, multa præclara quidem, vsuque, ratione & experientia comprobata haberi remedia, pestilenti veneno antipathetica, sed specificum, & quod totis substantiæ suæ viribus ei aduersetur, à nemine adhuc monstratum vidi. Itaq; videāt, qui non sine vanitate ὑπερβολικῶς sua extollūt, ne mundum decepisse dicantur. Inter remedia autem præstantiora habentur camphorata, crocata & alliata. Allium enim magnarum virium est aduersus pestem, & pollet trahendi & rumpendi vi insigni, si locus tumens eo emplastretur. Adhuc est in viuis fœmina sartoris cuiusdam, cuius in collo tumorem contumacem

ac prædurum, Chirurgi omnes conatus eludẽtem, 24. horarum ſpatio aperui, viruſq; extraxi, emplaſtro facto ex allio, &c. quidam in ſecretis habent antimonium diaphoreticum, item extractam eſſentiã Solis & antimonii, & recte, &c.

Sed veniamus ad alterum, quod maioris eſſe difficultatis videtur. Inter quatuor flagella Dei famis, belli, ferarum terreſtrium, etiam connumeratur peſtis, quibus viſitare Deus ſolet etiam ſuos, & vlciſci ingratitudinem hominum. Quęritur igitur, ſi cui ſingularis vltionis aut caſtigationis loco infligatur peſtis, vtrumne recte adhiberi remedia poſſint ac debeant, & vtrum prodeſſe valeant, nec ne? Hic primo diſtinguẽdum eſt in pœnis à Deo inflictis, inter id, quod certa denunciatione Dei patefacta euenit, vt in peſte populi Iſraelitici numerati, & Ezechiæ: & inter eas pœnas, quas Deus immittit hodie nulla peculiari reuelatione facta huic vel illi genti, aut ſingularibus perſonis, quia ceſſauit patefactio conſilii Dei immediata. Deinde etiam in *Notab.* patefactione cõſilii Dei immediata, tum indefinite toti genti, tũ definite huic vel illi indiuiduo immiſſa non ſemper Deus oſtendit, quid ipſe concluſerit, & immutabiliter decreuerit, ſed quid nos promeriti ſimus, vt ſic ad pœnitẽtiam vocet, quemadmodum Ezechiam noluit tunc occidere, ſed tamẽ quid promeritus eſſet, voluit ei oſtendere, cum diceretur ei, diſpone

res tuas, nam morieris. Semper enim in his com minationibus, quantumuis directis inclusa est tacita pœnitentiæ suppositio, vt cum Niniuitis excidium prædicebatur intra 40. dies, nisi scilic. resipuissent, quo nomine Ionas detrectabat Dei vaticinium proferre, quia Dominum benignum esse ad veniam sciebat, ne deprehenderetur postea vanus. Denique in medio visitationum & effusione iræ suæ Deus misericordiæ suæ & lenitatis memor est, vt non tribuat nobis secundum demerita nostra. His ita præsuppositis, Respõdetur ad primam distinctionem, etiamsi denũciato etiam consilio suo Deus immittat pestem siue indefinite toti genti, siue definite alicui singulari homini, tamẽ respectu latẽtis Dei determinationis nobis ignotę, & respectu conditionis pœnitẽtiæ in cõminationibus Dei inclusæ, deniq; bonitatis eius habito respectu, cuius non obliuiscitur Deus in medio iræ, potuit & debuit Ezechias etiam ante restitutionis spem remedia adhibere. Et licet hæc sine benedictione Dei nihil prodesse valeant, imo, subtrahente Deo remediis vires, etiam obesse, tamen ordinem nos consuetum sequi debemus in adhibendis mediis, ne Deum tentemus, relicto interim Deo arcano eius consilio, in quod inquirere, vt est nefas, ita præsumere ex nobis tale aliquid nõ debemus, ne videamur Deo sapientiores. Asa non reprehẽditur, quod adhi-

adhibuerit medicos in dolore pedum, ſed quod infirmitate ſua, diuina vltione ei peculiater immiſſa, non quæſiuit Dominum, hoc eſt, non cõuerſus eſt ad Deum vere pœnitendo, ſed quod magis in Medicorum arte cõfiſus ſit, 2. Paralip. 26. 12. Quod ſi igitur definite ſingularibus immiſſa in peſte remedia non ſunt poſthabenda, ſi forte ad Deum conuerſis etiã in medio morbi velit illa eſſe ſalutaria, quanto magis cæteris & ad præſeruandam & conſeruandam valetudinem ſunt adhibenda, eaq; licita & à Deo ordinata, ne tentetur Dominus. Adde deniq; & hoc, quod latens Dei determinatio & conſilium Dei occultum, nec non eius præſcientia exercitium artis non tollit.

Pag. 112. lin. 19. ternarius initium eſt nouæ quæſtionis in medio paginæ collocandæ.

FINIS.

